Maly, Johs. Nep.

Wien

Vienna

Suyalkallotan

Bath pple I 01222

12/11 88

Ács Gimaly

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICO-THERAPEUTICA
DE
Herpete,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI ET MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

PERILLUSTRIS AC SPECTABILIS DOMINI

DECANI,

NEC NON

CLARISSIMORUM ET CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS LAUREA

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS, AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA SCIENTIARUM UNIVERSITATE VIENNENSI PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

Joannes Nep. Maly,

Polonus Lipowicensis.

In theses adnexas disputabitur in Universitatis aedibus die 25. Junii MDCCCXXXI.

Vindobonae,

ex typographia viduae Stöckholzer de Hirschfeld.

ILLUSTRISSIMO,

CELEBERRIMO AC DOCTISSIMO

DOMINO DOMINO

Fr. nob. de Neuhauser,

MED. DOCTORI, S. C. R. APOSTOLICAE MAJESTATIS AD REGIMEN GALICIAE A CONSILIIS, REGNI GALICIAE ET LODOMERIAE PROTO-MEDICO, STUDII MEDICO-CHIRURGICI IN UNIVERSITATE FRANCISCEA DIRECTORI,

UNIVERSITATIS FRANCISCEAE RECTORI EMERITO, MEDICO LEOPOLIENSI VETERANO

ETC. ETC

VIRO,

SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA,

NEC NON HUMANITATE

AEQUE INSIGNI

HAEC PRIMA LABORIS ACADEMICI CONAMINA

IN PERENNIS OBSERVANTIAE CULTUSQUE

PERPETUI

MONUMENTUM

SACRAT ET VOVET

devinctissimus

Auctor.

LECTOR BENEVOLE!

Hasce pagellas dum publici juris facio, id mihi commemorandum esse videtur, me nequaquam nova excogitasse, sed ex auctorum diversorum lectione optima adnotasse et in unum fasciculum collegisse. Hac ratione officio, ad quod lege academica obstrictus fui, certe gravi, ast tironi medico, laborum suorum metam adpropinquanti simul jucundo pro virili satisfacere conatus sum. Experientia tristissima me ad hoc dissertationis objectum eligendum determinavit, cujus elaborationi per annos studio Medicinae practico dicatos operam navavi, et saltem fontes, unde materiae ad uberiorem hujus thematis tractationem hauriri possunt, et modum easdem ad scientiae salutisque humanae emolumentum componendi, indicavi. Quos Tu hinc inde invenies defectus, benigne velis juvenili parcere

Auctori.

Dabam Vindobonae die 16. Maji 1831.

DESIGNATIO.

Herpes morbum sistit cutis, qui non minus diuturnitate, quam natura rebelli, ac insidiis, quas visceribus saepe struit, infamis est. — Affinitate quidem manifesta cum aliis morbis cutaneis gaudet, sequentibus attamen in genere distinguitur notis: quod impetigo omnes cutis externae plagas infestans et malum simul chronicum sit, quin certae regioni insideat, aut aliam evitet, sed cum pruritus sensu ubicumque ad cutem efflorescit; ulterius proserpens papulas minimas confertas format, quae humore aut seroso, aut lymphatico replentur, et aut symplici epidermidis defurfuratione aut squamis vel crustis aut malignis ulceribus terminatur. In hac terminationis diversitate divisio illius in plures species radicatur, de quibus singulatim inferius agendum erit.

His breviter praemissis uberiori subsequenti expositioni interponendam esse censeo etymologiam hujus in civitatibus communissimi lateque per familias expansi morbi, ut illius synonyma hinc inde occurrentia, originis suae et significationis rationem demonstrent. —

ETYMOLOGIA ET SYNONYMA.

Diversissima herpes nomina tum propter formam et similitudinem, qua adparet, tum propter varias, quas occupat plagas, tum propter naturam, qua pollet, sortitus est. —

Merito prius de nomine semper solliciti esse debemus, antequam rem qualemcumque ipsam adgredia-

mur, dum in illa cognoscenda multum nominis expositio saepe adfert perspicuitatis. Hic loci quam aptissime mihi videtur herpetis synonyma adducere, quum plurimum a se invicem differant nosologi in denominando illo, quem mihi pertractandum proposui morbo, ut variae illius significationes, ulteriori scrutationi praeluceant. — Perstringemus itaque, quas herpes ab incunabulis medicinae ad hodiernum usque tempus accepit denominationes, ut videamus, quid sub hoc morbo singuli auctores intellexerint.

Jamjam Hippocrates nomine herpetis utebatur, quum magnus ille Cous senex certis locis distinctam illius metionem fecit, dicens: *Herpetes autem ex his, quae depascendo serpunt, minimum habent periculi, at secundum abditos cancros difficilius tolluntur a)*, altero loco adnuens: *multis aegris Ecthymata magna et magnos herpetes enatos fuisse sub statu pestientiali b)*, tandem pronuntians: *partibus frigore emortuis aut exulceratis et herpetibus estiomenis gratum esse calidum, frigidum vero inimicum et mortiferum c)*.

Celsus nonnisi unico loco herpetis vocabulo usus est, ubi nempe de ulcere, quod Graeci ἑρπητα ἐσθιομενον vocant, loquitur; quod ita describit: *Celeriter serpendo penetrandoque usque ad ossa corpus vorat. Id ulcus inaequale, est, caeno simile, inestque multus humor glutinosus, odor intolerabilis, majorque, quam pro modo ulceris inflammatio, fit maxime sicut omnis cancer in senibus, vel his, quorum corpora mali habitus sunt d)*.

Galenus compluribus locis nomen herpetis expressit, quin tamen illius descriptionem characteristi-

---

a) Prorrh. Lib. II.

b) de morb. vulg. Lib. III. p. m. 171.

c) Aphor. L. V. N. 22.

d) Lib. V. c. XXVIII.

eam subjecisset, magis vero suam attentionem ad causam illius et morbosam humorum, ex qua oriatur, crassim, convertisse videtur. Attamen primus fuit, qui fundamentum pro divisione consueta specierum herpetis posuit *a*).

Herpetis nomen ex eo accepisse videtur, quia morbus est, qui semper ulterius serpit, quod indicatur graeco vocabulo ἕρπειν vel ῥέπειν serpo, repo, kriechen, sich weiter verbreiten, et inde ἕρπης, herpes.

Serpiginis nomen ob eandem causam ac herpetis, aliqui, praecipue recentiores, illi imposuere, ut latinitati studerent, dum vi vocis ipsius morbum denotare maluerint, qui ulterius proserpere et partes vicinas invadere amet, uti Helvigius ait: *Anguium more videtur serpere atque una parte sanescente, morbus in proxima parte serpit* *b*). — Placuit nonnullis, autem serpiginis nomen ad speciem herpetis indolis rodentis et ichorosae restringere. Plinius commemorat *c*): esse animal ejusmodi virtutis mirae, ut ulceribus rodentibus, adplicatum mox illorum sanationem acceleret et efficiat. Fors haec ulcera herpetica fuere, et ob animal, quo sanata sunt, serpiginosa vocabantur.

Sacer ignis a Celso *d*), probabiliter ob eandem causam nominabatur, uti Actuarius *e*) de illo dicit: *Modo hanc cutis partem, modo proximam occupat, ac priori sanata propinqua ejus vitium accipiat, non secus, ac ignis, qui proxima quoque depascitur, ubi ea, quae prius accensa erant, deficiente jam materia idonea prius quoque extinguntur.*

---

a) De tumoribns, P. I. c. q. et de arte cur. ad glau. L. II. cap. 12.

b) Observ. physic. med. 38 schol. p. 140.

c) Lib. XXVI. cap. 4.

d) Lib. V. cap. XXVII.

e) Meth. med. L. N. cap. 12.

Formica Arabum (Namlah) denotabat herpetem miliarem Graecorum *a*), qui autem ob nominis similitudinem inepte confunditur cum Myrmeciis, quae a Celso *b*) describuntur: *Verucis similia, quae radices altius exigunt majoremque dolorem movent, infra lata, supra autem tenuia, magnitudine vix unquam lupini modum excedunt, nascuntur autem in palmis aut in inferioribus partibus pedum.*

Mentagra Plinii *c*) quam ille ab equite Perusino, decedente ex Asia Quaestore, temporibus Tiberii primo adlatam ad urbem, ibique in multos diffusam refert, pro herpetis specie a quibusdam habetur.

Lichen papulae Celsi, aliis, pro herpete farinoso habentur *d*) aliis pro morbo proprio *e*). Probabiliter hanc denominationem, ob similitudinem quam cum lichenibus, cortices arborum infestantibus manifestam habet, ex inde adquisivit. Tum certe eadem ex ratione Germanorum significationem obtinuit.

Achlat Arabes et Avicenna *f*) vocant herpetem estiomenem, qui sec. XV. sub nomine Zerna venit.

Impetiginem veterum quorundam nihil aliud esse, quam herpetem miliarem credunt nonnulli *g*), licet inpetiginis nomen sensu strictissimo illi tribuatur.

Zona vocatur a **Scribonio Largo** *h*), quod Graeci ἑρπητα dixerunt Ast sub nomine Zonae Zosteris

---

a) C. Sprengel adnot. in Batemann's Hautkrank. sub herpete, pag. 331.

b) Lib. V. cap. XXVIII.

c) Hist. nat. Lib. XXV. cap. 1.

d) Lory op. ad finem diss. cit. p. 243, — et Poupart op. ibid. c. p. 5.

e) Willan et Schmalz op. c. p. 247.

f) Canon Lib. IV. Fen. 3. tract. I. cap. 6.

g) Sprengel op. cit. p. 250.

h) Scribon. Largus de comp. med. Cap. 13.

vel Herpetis morbus alius putabatur, ut ex sequentibus patet: Singulare et paucis cognitum erysipelatis genus idemque malignum antiquorum, Zona, Zoster vel Herpes est *a*).

Germanis nominatur: Die Flechte, der Zitterich, — Schwinden, — Zittermaale.

Italis: L'erpete, — Empiriggine, — serpicella, i sali, il salso.

Gallis: Les dartres.

Anglis: Antony's fire, — Wild-fire, the shingles, — tetter.

Hungaris: Soemoer.

Polonis: Liszay - swierzb łupiący i mknący się po ciele. — Są chorobą skórnią, zbiór chrosteczek, niekiedy skrupiastych, przydoleglivym swierzbieniu a niekiedy łupaniu się czyli łuszczeniu skory b). Gdyby się na mieyscu wrzoda nadał guz biały, albo też liszay iaki biały, albo czerwony, a liszay nie wklęsłby wskórę, tedy nie trąd. c).

Haec de nomine notasse sufficiet, rei ipsi propius accedere oportet, ut omnibus innotescat, quidnam illud sit, de quo disseramus. Consultum autem habui, antea synopsim totius praesentis tractatus subjungere, ut benevolo lectori viam ad faciliorem illius conspectum sterneret.

Primum itaque mihi agendum erit: circa statuendam herpetis definitionem, subsequenti diagnosi in genere. His praemissis divisio illius lo-

---

a) Plinius histor. nat. L. XXVI. c. XI. Scribon. Largus, de comp. med. 63. p. 44. edit. Rhod. Plin. Valerian. de remed. cap. 33. et 34. in R. A. Vogel op. c. Par. I. p. 198.

b) Dyk. Med. 3, 532.

c) Radz. Levit. 13, 21.

cum habebit, ex qua diagnosis singularum specierum unacum differentia morborum affinium emanabit. Haec excipiunt investigatio illius causarum, indagatio decursus et terminationum, Autopsia cadaverum et analysis chemica, tandem explanatio sedis et naturae morbi, quibus omnibus expositio prognosticarum et medendi methodi adnectetur.

DEFINITIO.

Uti perbene orator dissertissimus Romanorum dicit: a) *Omnis, quae a ratione suscipitur, de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid id, de quo disputetur; — cujuslibet itaque rerum scrutatorum erit, huicce monito obsequi, ut Pergami verba adimpleantur:* Ορος ἐςι λογος, το εἶναι δειλων, *(definitio est oratio, quae rei essentiam declarat).*

Haec autem perpendens et ad objectum laboris mei restringens, bene perspicio, quali cum difficultate luctandum habeo, ut sensui dicti illius satisfaciam. Neminem latebit, hanc in illo latere difficultatem, herpetis definitionem exactam dari non posse, non tantum, quod causa proxima et differentia ultima sit incognita, adeoque natura morbi et essentia adhuc sit obscura, sed etiam, quia ob polymorpham et inconstantiam illius faciei paucis verbis comprehendi non possit, sed longiori descriptione indigeat.

Pauca et manca sunt, quae nobis in scriptis veterum praesto sunt; uti jam ex supra adductis aliunde patet. Non absque re erit, differentes opiniones circa morbi hujus definitionem veterum auctorum, ad hodiernum usque aevum adducere.

Celsus b) partim sub papularum titulo, partim sub sacro igne herpetem intelligere videtur, quod ex

---

a) Cicero. Lib. I de officiis.
b) Lib. V. cap. XXVIII.

sequentibus elucet: *Papularum duo genera sunt. Alterum est, in quo per minimas pustulas cutis exasperatur et rubet, leviterque roditur, medium habet pauxillo levius, tarde serpit, idque vitium, maxime rotundum, incipit eademque ratione in orbem rotundum procedit. Alterum est, quam* ἄγριαν *Graeci adpellant, in qua similiter quidem, sed magis cutis exasperatur exulceraturque, ac vehementius et roditur et rubet, et interdum etiam pilos remittit, difficilius sanescit, ac, nisi sublata sit, in impetiginem vertitur.*

Boisser Sauvages *a*) describit eum sequentibus: *Est enim papularum congeries, seu efflorescentia ex tumoribus exiguis, rubris, aggregatis, pruriginosis, in squamas furfuraceas, raro crustaceas, abeuntibus.*

Linnaei *b*) verba sunt: *Papulae ischaroticae basi communi erysipelacea.*

Plenk *c*) ita ait: *Papularum chronicarum ichoroso-squamosarum, semper ulterius serpentium agmen.*

Cullen *d*) sequenti ratione: *Phlyctaenae, vel ulcuscula plurima gregalia, serpentia dysepuleta.*

Vogel *e*) dicit: *Impetigo,* λειχὴν *Graecis dicta, maculosum cutis vitium est, quod in squamulas resolvitur. Maculae ipsae plus minus rubent, et siccae et asperae sunt, atque pruriunt. Demtis squamulis mox novae succrescunt. Vitium tarde serpit et modo singulares partes, modo plures infestat.*

Pet. Frank *f*) sequentem communicat definitionem: *Est species impetiginis, quae papulis exiguis aut rubris aut pellucidis subflavis, aggregatis cum pruritus,*

---

a) Op. ad f. diss. cit. Vol. I. pag. 175.
b) Ejusdem genera morborum. Upsalae 1763.
c) Op. ad. f. d. c. p. 86.
d) Op. ad. f. c. p. 147.
e) Op. ibd. c. Vol. II. p. 300.
f) Op. ibd. c. L. IV. p. 133.

tensionis ac ustionis quasi sensu, ad cutem subtumidam ac subduram efflorescit; his vero vel sponte, vel scalpendo disruptis, pertinaciter ulceratur, saniemque acrem vicinas saepe partes arrodentem plorat, ac squamis, vel crustis informibus obtectae in lemas atque furfures resolvitur. Quae definitiones, ut nihil dicam amplius, jam in ipsa eruptionis forma determinanda discrepant, cum mox papulis, mox phlyctaenis herpetem componi statuant.

Jos. Frank *a*) ita herpetem definit: *Herpes impetiginem prurientem plerumque serpentem ac periodicam sistit, sub forma nunc papularum rubrarum sublutearum, nunc pustularum sero rubello flavescentium, limpido repletarum comparentem, ac sive in desquamationem, sive in crustas, sive in ulcera desinentem.*

Willan *b*), qui circa morbos cutis multa versatus est, laude dicit: *Herpetem esse vesiculosam efflorescentiam, vesiculis discretis, irregulariter adgregatis, halone rubicundo cinctis, cutem inflammatam tumidulam obsidentibus, quae regulariter increscunt, maturantur, decrescunt, et inter* 10—20 *dies in parte, quam occupant, deserunt, in locis vicinis saepe iterum prodeuntes, quae ab initio lympha pellucente clara, tardius turbida et spissiore replentur, mox ruptae in crustas abeunt, aliquando tamen ichorem, quo cutis exulceratur plorantes, contagii semper inmmunes.*

Sagar *c*) haec asserit: *Herpes est papularum prurientium corrymbus, in squamas furfuraceas fatiscentium.*

G. A. Richter *d*) sequentia de illo adducit; *Herpetis semper praecedit peculiaris quaedam chronicae*

a) Op. cit. Vol. II. p. 440.

b) Vid. Batem. Darstellung d. Hautkr. nach Willan's Syst. pag. 331.

c) Op. cit. p. 42.

d) Op. ad f. c. Vol. VI. p. 160.

cutis inflammatio, quae levi intumescentia, et rubore majori vel minori ardoris, tensionis pruritus sensu in plaga quadam corporis manifestatur. 2) *In hac plaga erumpunt mox noduli, agmina formantes, mox confertiora, mox magis dispersa, cum basi dura circulari, coloris ab initio laete rubri, tardius pallidioris aut flavescentis, ab admisso frigore non disparent, uti scabies, et in fine transeunt in vesiculas pellucidas, discretis semper periphericis adhuc circumscriptas, unde figurae diversae, mox ovales, mox semilunares, mox circulares, mox triangulares, mox ductus scripturae imitantes oriuntur.* 3) *Area (halo), qua vesiculae cinguntur, paululum elevata est, a pressione digiti non pallescit, et perdurantis adhuc ardoris et pruritus sedis esse videtur.* 4) *Vesiculae humorem acrem unguinosum peculiarem empyreumaticum, fere uti solae ustae aut ligna putrida odorem spargentem transsudant, aut, si rumpuntur, vel scalpendo lacerantur, effundunt, quo partes vicinae arroduntur, crustae in superficie formantur, sub quibus secretio morbosa continuat, hinc deciduas, repetitis vicibus novae iterum crustae subsequuntur.*

Joan. Nep. Nobil. a Raimann, a) praeceptor meus summe venerandus, sequentem herpetis definitionem statuit, dicens: *Herpetem esse eruptionem afebrilem, mox brevi, mox longo tempore durantem, non absolute contagiosam, quae vesiculis minoribus aut majoribus pruriginosis, in basi rubente inflammata, sub diversa forma atque extensione prodeuntibus, in conspectum venit, in quibus, ab initio humor limpidus, excolor, dein vero turbidus, et lactescens continetur, mox in crustas exsiccantur, aut in exulcerationem terminantur.*

Quas e veterum et recentiorum operibus collectas morbi hujus denominationes et delineationes mente perpendens, sequentia adnotare invenio.

---

a) Op. ad f. c. Vol. VI. p. 160.

Hippocrates herpetem Nomis adnumerat, sanatuque difficillimum ideoque chronicum morbum ac pertinacia fere cancris occultis similem esse dicit; in specie vero herpetem estiomenon cura pernionibus ulcerosis sphacelosis una comprehendit atque in utroque morbo idem juvare, idem nocere et lethale esse refert. Ex quibus adparet: et illos, qui herpetem morbum esse acutum inter 10—20 dies decurrentem voluerunt, significationem vocis et auctoritatem Hippocratis non satis respexisse, et herpetem estiomenon cum eo, qui sub rodentis imo et phagadaenici nomine describi solet, non satis commode permutari: cum sit omnium pessimus, et quo ad malignitatem altissimum gradum constituat.

Celsi descriptio, si herpetem farinosum admittimus et qui veteribus lichenum titulo venit, morbum isto nomine designare malumus, huic omnino herpetis speciei videtur convenire, si vero hanc ipsam asperam cutis adfectionem, distincto ab herpetibus, ut vulgo creditur, lichenum nomine Hippocrates insignivit, tunc Celsus, apud quem nulla usquam lichenum fit mentio, hos ipsos descripsisse censendus est sub pustularum *a*) titulo, quarum prior species, Licheni circumscripto Willan. posteriori Licheni Agrio ejusdem pulchre quoque convenit.

---

a) Pustulas celsus dicit esse, quas ἐξανθηματα Graeci vocant, quo communi nomine illi omnes eruptiones cutaneas complexi sunt, hinc etiam papulas, quae ex urtica et sudore nascantur, huc refert, alii vero per pustulas videntur id, quod Graecis φλυκταιναι sunt, quae et vesiculas et pustulas illis designarunt, voluisse exprimere. Adque ambigua mansit diu haec vocis significatio, donec demum ad protuberantias cutis, pus claudentes, unice restricta est pustularum significatio.

Sacri autem ignis utraque species potiori jure potest pro herpete haberi, ut olim jam Platerus *a*), Tulpius *b*) et alii censerunt, quamvis Gorter, Hoffmann *c*), Lorry sub priori erysipelas pustulosum, sub posteriori ulcerosum malint intelligere. Priorem speciem, qui attente legerit, optime cum Zostere seu Zona convenire inveniet, quam Scribonius Largus *d*) Graecis 'ερπητα dici perhibet, quaeve a Batemann secundum eam, quam de herpete dedit definitionem, pro specimine herpetis luculentissimo adducitur. Posterior sacri ignis species est in summae cutis exulceratione, sed sine altitudine, latum, sublividum, inaequaliter tamen mediumque sanescit extremis procedentibus ac saepe id, quod jam sanum videbatur, iterum exulceratur, at circa proxima cutis, quae vitium receptura est, tumidior et durior est, coloremque habet ex rubro subnigrum. Quae a Batemann herpeti circinato W., qualis sub calidiori climate violentior occurrit, censetur convenire.

Secundum definitionem Willan herpeti non convenit characteristica ipsorum indolis serpiginosa, nec, ut Hippocrates voluit, difficilius tollendum seu chronicum malum, sed sponte intra breve tempus evanescens designabant, deinde, quod numquam contagiosum affirmat, in altiori saltem gradu negari nequit, posse alios inficere, denique herpeti estiomeno, utpote pustulis potissimum consistenti interspersis quamvis hinc inde vesiculis, sub hoc genere locus nec erit, quem ille propterea ad impetiginem suam retulit.

---

a) Observ. L. II. p. 544.

b) Lib. III. c. 44.

c) Med. rat. syst. T. IV. P. I. S. I. c. XII. obs. VI.

d) De comp. med. c. 100.

Videtur illud proprii herpeti tribuendum esse, quod aliquando acutum, sed longe frequentius chronicum habeat decursum, deinde, quod plerumque vesiculis, interdum tamen et pustulis constet, qualis est herpes pustulosus auctorum et estiomenos, denique, ut in gradu altiori alios quoque possit inficere, proprium vero corpus etiam mitior, contactu ipso inquinet.

Richter nec de forma eruptionis, quae diversissima est, determinanda, nec, quae ob eam causam impossibilis fere est, statuenda definitione studet, sed symptomata characteristica, quibus herpes et cognosci et ab aliis morbis similibus cutaneis discerni possit, per longum enumerat.

Quibus omnibus itaque perpensis, necessarium mihi videtur, ex omnibus supra adductis auctorum sententiis, singula colligere vera, in unum totum conferre et ita effigiem morbi, juxta ideam recentiorum depictam, judicio lectoris subjicere, quam vero repraesentat subsequens:

DIAGNOSIS HERPETIS IN GENERE.

Herpes absque omni prodromo saepe adparet, saepe autem delassatio, dedolatio, anorrexia dolor et ardor in cute, illius eruptioni antecedunt. Adcuratius observanti non effugit, hanc sub phaenomenis characteris inflammatorii incedere. Efflorescit enim semper ad cutem subtumidam, rubicundam, cum majori minorive tensionis ac pruritus sensu, qui aegros ad scalpendum invitat. Est autem illa plaga, quam nunc occupat, amplioris ambitus, subjectum ipsum robustum; tunc in casu, sicuti in scabie, febricula non deest. Mox visibiles fiunt, raro solitarii, semper vero aggregati noduli vel papulae, quae primo ad apicem, se-

rius vero ex integro cum humore seroso, diaphano, raro miti, vulgo acri, replentur; quae papulae vel sponte vel unguibus aegrorum disruptae, fluidum contentum effundunt. Fuit ratio contenti mitis et serosa, tunc siccescit plaga morbo correpta, et in simplicem epidermidis defurfurationem terminat, (herpes farinosus, furfuraceus.) Replebantur autem papulae lympha, tunc in squamas vel crustas abeunt (herp. squamosus, crustosus); erat vero effusi conditio acris, tunc non tantum partes vicinas cutis irritat, inflammat, et tali modo herpetis circumferentiam amplificat sed intensius imo partem, epidermide denudatam, inflammat, ulcera provocat, quae semper semperque profundius proserpunt, et per continuam serosi acris rodentis secretionem, maligna evadunt (h. malignus, rodens, phagadaenicus). Impetigo hac in re per majorem minoremve cutis plagam extenditur, saepe enim ad unicum locum restricta est, aut, quod frequentius esse solet, plures locos simul occupat, quibus aut pertinaciter inhaeret, aut ad alios proserpit, imo nonnumquam per universam dissipatur cutem. Id proprii habet, quod ubicumque in superficie cutis occurrit, quin calvariam, et apices digitorum manuum pedumque negligeret, et sub hac migratione non raro ex loco primarie visitato, ex integro disparet, (unde Germanorum denominatio: Schwinden).

Secretio, herpetem concomitans, pro varia illius extensionis ratione, bonae malaeve indolis secreti, mox parca, mox larga est, saepe autem tam profusa, ut brevi tempore linteamina aegrorum permadefaciat, et deinde parti secernenti adhaereat. Secretum ipsum pro vario casu instructum est odore ingrato, praesertim ultima sub circumstantia. Partim enim redolet lignum putrescens, partim insignitur nidore urico, corii adusti non absimili.

Plagae, in quibus herpes vel simplicis exsudationis, crustarum vel ulcerum forma terminavit, circacircum rubent, inflammantur et sensibiles fiunt. Continuo aegrum ad frictum et scalptum invitant, cui vix resistere valet, unde somnum de nocte turbant. Haec mala omnia exasperantur, si nova eruptio contingit. Tunc pruritus gravior fit, color subdurae cutis sub tensionis ac ustionis sensu, intenditur, et febricitationes de novo aegrum invadunt, donec localis inflammatio decursum suum absolverit.

Tali ratione potest herpes per longius temporis spatium durare, praesertim, si minoris extensionis vel originis nondum organismo profundius irridicatae est, quin manifestas turbas in reliquis partibus systematis reproductivi causet. Econtra vero multifarias sequelas, ut solenne exanthematibus chronicis est, secum fert. Huc pertinet facies pallida, collapsa vel inflata, virium prostratio, digestionis languor, status pituitosus tubi alimentaris, chronicus, apud infantes scrophulae, in adultis infarctus viscerum abdominalium, hydrops et atrophia.

DIVISIO HERPETIS.

Haec itaque essent, quae characteristicam herpetis indolem praeseferunt, et manifeste indigitant, quibus in genere notis ab aliis dignoscitur impetiginibus. Ast, uti jam supra adnotavimus, nonnullos cutis morbos dari difficillime ab illo distinctu, non minore quoque difficultate diagnosis singulas inter herpetis species premitur. Quae in hunc finem, ut succurreretur diagnosi speciali a multis auctoribus statuta est hujus polymorphi morbi distributio, tam diversa evasit, ut minimum perspicuitatis medico inde conciliaretur. Per talem vero minutissimam specierum herpetis divisionem nullum

praxis medica emolumentum lucrabatur, dum quivis medicorum per strictam morbi praesentis observationem de arbitraria ambiguaque optione hujus, juxta mentem auctoris sui, statuta divisionis edocetur. Mox inveniet enim, diversissimas herpetis species perlustrans, non ex natura illorum desumtam classificationem, inveniet illarum vix distinguendam affinitatem, inveniet frequentissimam speciei unius in alteram terminationem. Medici auctores tamen qui magis praxi, non vero theoriae succurrere conati sunt, fundamento Galeni, classificationem singularium herpetis specierum superstruere studuerunt, multum itaque ad facilitandam diagnosim specialem contribuere, formam scilicet externam, symptomata concomitantia sagaci cum circumspectione respicientes.

Meum hic loci erit, breviter nonnulla, quae mihi praesto sunt, enumerare; — inferius vero, sub titulo diagnosis specialis uberiorem singularis speciei descriptionem palam facere, simulque differentiam a morbis analogis illico subjungere adnitar.

Antiquissima et prima, uti jam sub initio tractatus hujus mentionem feci, est divisio G a l e n i in tres formae varietates, nimirum:

1) in Κεγχραν, seu herpetem miliformem, qui etiam pustulosus dicitur;

2) in φλυκταινωσθην, qui per vesiculosum exprimi solet, sed juxta antiquam vocis significationem vesiculoso-pustulosum designare videtur;

3) in 'Εσθιόμενον, ob malignam, depascentem indolem sic dictum.

Haec divisio, licet G a l e n u s eam in Pathologiae humoralis gratiam et suae de humoribus cardinalibus theoriae potius, quam essentiali cuidam respectu indolis differentiae superstruxit: plerumque a recentioribus

etiam auctoribus retinetur, dum haec, formae externae consideratio, gradum saltem morbi, imo et indolem ejus demonstrat, non omni in therapia utilitate destituta est.

Eodem formae fundamento innixi plures autores, herpetis divisionem construxere, quorum sequentes adduxisse sufficiet, uti: Roussel, Poupart, Lorry, Plenk, Alibert, Willan, Batemann, Haase etc., licet tamen hinc inde discrepent, dum, quod uni species, alteri varietas est, et vice versa. Frustra me laborasse hic censeo, si anxie decidere velim: Penes quem jus et lex et norma loquendi; diversus enim considerandi modus, omnem eximit limitem.

Ut tamen ipsius lectoris benevolo judicio hancce rem subjiciam, nonnisi aliqua praestantiora breviter hic assignare volo, e. g. Alibert *a*) ita distribuit herpetem: 1) in herpetem furfuraceum, farinosum, (quem Willan et Batemann sub Pityriasi pertractare videntur); 2) in h. squamosum, (quem W. et B. sub titulo Psoriasis, cum multis adhuc speciebus describunt); 3) in herp. crustaceum, (ad quem multae species impetiginis Willani, et juxta P. Frank Psydracia pertinere videntur); 4) in h miliarem, (apud W. et B. Phlyctaenodes vocatum); 5) in h. exedentem, aliis phagadaenicum etc. etc. Adparet ex his jam, ubinam auctores a se invicem discrepent, quum aliam plane Will et Bat. *b*) herpetis divisionem, nec formae, nec loci servata unitate, dederunt, quod adhuc ex subsequenti illius divisione melius manifestetur. Distribuit enim ille herpetem 1) in Phlyctaenodem, 2) in Zostera, 3) in h. circinatum, 4) in h. labialem, 5) in h. praeputialem, 6) in h. iridem.

---

a) Op. c. p. 34.
b) Op. c. p. 336 — 356.

Sufficient haec, quae divisionem herpetis ex forma illius desumtam praeseferunt. Quem ego auctorum sequar, inferius, ubi de diagnosi specierum herpetis mihi agendum erit, omnibus patebit.

Nunc sequitur enumeratio divisionum, ex varia consideratione deductarum, inter quas primum locum occupat illa, quae

Respectu Therapiae statuta est; scilicet in herpetem primarium seu protopathicum (idiopathicum), et in secundarium seu deuteropathicum (sympathicum), quorum primus a stimulo, immediate cutem morbifice infestante, originem ducit, alter vero, qui, vel sympathica actione causarum internarum ad cutem reflexa exoritur, vel a latente praevia qualicumque humorum discrasia aut solidorum vitio indeque nata se- et excretionum laesione, veniens, symtomathice in cute adparet; (hic complicatus, ille simplex quoque dici solet). Huic divisioni merito adjungitur distinctio herpetis in metastaticum et criticum *a*), (licet prior nonnullis, interni nomine false insignitur).

Respectu loci, quem occupat, in externum et internum dividitur. Prior variis denominationibus, prouti has vel illas partes obsederit, insignitur, uti: h. frontalis, labialis, mentalis, collaris, praeputialis, periscelis etc. etc. Quod autem posterior in partibus internis occurrat, multis observationibus comprobatur. Vesicam urinariam vaginam usque ad uterum occupasse *b*) dolores summos in his partibus, haemorrhagias, fluorem album, stranguriam, ischuriam *c*) aut stilicidium induxisse urinae *d*), fide digni auctores testantur, saepe

---

a) Nob. a Raimann op. c. Vol. II. p. 182.

b) Bertrand de la Gresse op. c.

c) Sauvages op. c.

d) Poupart op. c.

per nares, laryngem proserpisse, aut ab externis partibus disparuisse eventu non raro lethali ad viscera esse conversum, quod evidenter saepius cadaverum sectionibus demonstratur.

Respectu extensionis dividitur tum in localem seu solitarium, si unicam tantummodo partem infestat, et minori in plaga residet, uti plerumque sub initio esse solet, tum in universalem seu diffusum, si tractu temporis ulterius proserpendo magis magisque expanditur, vel diathesi propria, sic dicta herpetica, producta, et diversarum partium contactu corpus inquinans, integram fere cutis superficiem defoedat atque obsidet.

Respectu decursus in acutum et chronicum distinguitur; (licet pater Hippocrates aperte herpetem pro morbo chronico declaret, Willan vero intra breve temporis spatium illum evanescere contendit).

Respectu durationis in recentem et inveteratum subdividitur. Non immerito huc referendam esse censeo divisionem herpetis in

Haereditarium et congenitum, dum absque dubio a parentibus in ipsos liberos morbi seminium transfertur, qui, ut paternorum bonorum sic et paternorum malorum haeredes fiunt *a*). Vere canit poëta:

„Qui viret in foliis, venit ex radicibus humor,
Sic patrum in natos transeunt cum semine morbi"

cujus veritati multa exempla innituntur, quae in fide dignis auctoribus leguntur *b*).

Epidemicum observavit Richard *c*) eumque miliarem et contagiosum; quam speciem epidemice

---

a) Felix Boczkowski Diss. de morbis haereditariis. Vindob. 1830.

b) Lorry op. c. p. 64 — 104, 312. Poupart op. c. p. 155, 195. — Roussel op. c. p. 45. Baldinger N. Mag. B. XI. St. I. p. 171 — 74. Tode soc. med. Havn. collect. Vol. I. obs. 13. p. 95.

c) In Poupart's Zusätzen. 12. 15.

grassare quoque Lorry vidit. Apud veteres pluribus locis populariter saevisse legitur, attamen evictum non habetur, an revera herpes fuerit.

Endemice recurrere quoque refertur in regionibus quibusdam humidis simulque calidis, cutis functioni maxime obnoxiis, inde in insula Java communis *a*). Aleppi tantae saevitiae, ut e millenis vix unus inmunis evadat *b*). Cajennae aliisque Zonae calidae subjacentibus locis, adeo frequens, ut non facile invenire, quem non aliquando hic morbus male mulctaverit *c*). Eadem fere celebritas morbi etiam in regionibus frigido-humidis, paludosis est, praesertim litoribus mari adjacentibus *d*), quorum incolae piscium inmodico esu abutuntur *e*).

Periodice recurrere interdum visus est, praesertim circa aequinoctia, vernum tamen magis, quam autumnale *f*). Exempla praesto sunt, quod in feminis quibusdam quoties catamenia supprimerentur *g*) et in muliere quadam herpete laborante, sub graviditatis tempore disparuerit, post partum autem eodem de novo misera molestabatur *h*).

---

a) Bontius de med. Indica. L. I. 20. obser. 17.

b) Hasselquist Reise nach Palaestina. Th. II. S. 8. — Roussel the nat. histor. of Aleppo, p. 282.

c) Bajon, Abhandlung v. chron. Krankh. auf der Insel Cayenne, a. d. Franz. übers. II. B. S. 35.

d) Poupart op. c. p. 54. — Bluhm Versuch einer Beschreib. der haupts. in Reval herrschenden Krankheiten. Marburg 1790. S. 146.

e) Trampel Beobachtung. u. Erfahrung. Lemgo 1789. B. II.

f) Lorry op. c. 303. — Poupart's Zusätze p. 24.

g) Roussel op. c. p. 55.

h) Thilenius Med. chirurg. Bemerkung. Frankf. a. M. 1789, S. 204.

Sub judice adhuc lis est, num herpetis in contagiosum et non contagiosum distinctio locum habere possit; quid de hac re disputatur, inferius sub titulo, Aetiologiae monstrabitur.

DIAGNOSIS IN SPECIE.

Quae herpetem in genere depingunt lineae superius assignare studuimus, nostrum nunc erit, varias, quibus in cute hospes ille parasita comparet, formas et multifarias, quibus haec subjicitur, mutationes uberius accuratiusque demonstrare. Rectae enim curationis fundamentum est dignotio, inquit Trallianus (LIX. c. 1.). Haec vero cognitio sine certis signis nulla est, illa enim nos ad cognitionem morbi quasi manuducunt, et quidquid vel in praesens ad illius dijudicationem, vel in futurum ad ejusdem boni malive eventus praedicationem spectat, graphice nobis praefigurant.

Quapropter omnia illa, quae in praecedentibus nonnisi in genere de herpete adumbravi, uberius fusiusque firmis certisque notis hic locorum delineare mihi proposui. Antequam autem hisce operam navabimus, teneor adhuc profiteri (ut promisi), quem ego in stabilienda singularum herpetis specierum divisione sequar, et juxta hanc eorum descriptionem traditurus sum. Sufficiunt haec, me Auctoris *a*) basi antiquissima distributionem herpetis construentis, asseclam pronunciaturum. Hic enim in tres tantummodo ordines principales omnes herpetis species distribuit, quibus uni alterique genera subjecit aliqua, sequentibus dilucidanda:

1) Herpes farinosus, furfuraceus, simplex, siccus, benignus, lichen siccus, (mehlichte, kleyenar-

---

a) Haase op. c. 3. Bd. p. 259 et seq.

tige Flechte, trockene Hautflechte, Hautkleye, Kleyengrind, — Gal. Dartre farineuse, d. seche, d. furfuracée (Alibert) — Angl. Dry tetter. — Polon. Swierzbiączka, abo gnoisty liszay).

Haec species, licet in quacumque cutis plaga compareat. frequenter tamen regiones aponeurosium sibi praediligere videtur et ad faciem, supercilia, sub formicationis sensu, ad continuam frictionem, (hinc morbum exacerbantem) invitante, circa aures, ad labia, mentum, collum, ad genua (herpes periscelis) et in planta pedum, sub forma minimorum nodulorum prorumpere solet. Paulo post detegantur (oculis armatis) vesiculae (papulae) in cuti tumidula, rubicunda aut in corymbos, aut annulos et circulos confertim dispositae. Manifeste superficialis inflammatio cutis efflorescentiam hujus speciei concomitatur, quapropter minoribus molestiis, (nisi ad os coccygis, anum et genitalia prorupta intolerabilem pruritum causat, et inde libidinem excitat) prae reliquis speciebus stipatur, et rarissime cum febricula incedit; qua ex causa etiam secretio in hacce herpetis forma parcior obtingit. Papulae nimirum minimae aut sponte aut ope scalptu aegri disruptae, humorem serosum minima quantitate effundunt, qui, quascumque partes attigerit, similem illis pruritum et inflammationem impertitur, novamque eruptionem causat. Effuso autem humore, mox plaga cutis infestata exsiccatur, et cuticula vel sub forma pulveris farinosi, vel lamarum aut squamularum furfuracearum grisei albicantisve coloris fatiscit; qua de causa etiam herpes siccus adpellatur.

Absoluta desquamatione, cutis subjacens rubicunda madidaque reperitur. Quod exinde continuo secernitur, coagulatur, exsiccatur et denuo sub forma farinae crassioris separatur, talique modo exsudatio cum desquamatione continuo alternat.

Haec species herpetis consuetim pluribus in locis superficiei cutis simul adparet, latiusque inde expanditur. Raro ad certam restringitur partem frequenter fugax sedem mutat, derepente disparet, et vicissim alio loco prorumpit (unde Germanorum denominatio Schwinden). Si haec ultima circumstantia, sedes morbi, et terminatio illius in desquamationem considerantur, merito affinitas hujusce speciei inflammationibus erysipelatosis non deneganda venit.

Quia minoribus ac reliquae species molestiis stipatur, cutem non profundius penetrat, et nec reliquis in organis turbas aliquas causat, imo saepissime critice adparet, medicis frequenter nomine herpetis benigni occurrit, licet aliquando universalis evasisse, gravissima symptomata imo et mortem induxisse visus sit *a)*.

Individuis temperamenti phlegmatici, capillis flavis, cuti laxa mollique instructis, proprius est.

2) Herpes miliaris, pustulosus, phlyctaenodes, Formica miliaris Κεγχρίαν; — die frieselartige Flechte, die Blasenflechte, — Gall. Dartre miliaire, feu volage, dartre buttoné, — Polon. Liszay ìaglasty, albo krupiasty i pomykaiący się.

Haec species majori intensitate procedit, profundiusque cuti inhaeret, quapropter gravioris momenti est. Illius eruptionem frequenter prodroma exanthematum acutorum antecedunt, uti cephalea, inquietudo, respiratio anxia, dispnoea, status aut gastricus, aut pituitosus. Haec excipiunt tam rubedo intensa plagae morbo obsessae simul tumidulae, quam pruritus et sensus ustionis, qui tepore lecti, aëris atmosphaerici altiore temperatura, usu aromaticorum et spirituosorum increscit. Ad vesperas vel de nocte, ubi consuetim exacerbatio

---

a) Hoepfner Diss. sistens herpetis furfurac. malign. casum memorab. Berol. 1815.

celebratur, molestiae ille exasperantur, et febricula, quasi pituitosa typi remittentis, illis non raro associatur. Paucis diebus elapsis erumpunt in illis inflammatis plagis noduli, seminibus milii similes, coloris mox grisei-flavescentis, ad apicem humore seroso-lymphatico repleti. Plerumque aggregati observantur, ita nonnumquam, ut confluant. Rarius solitarii, aut magnitudine lentis vel pisi minoris, semper vero margine rubicundo, inflammato sensili cincti Vesiculae, quocumque modo ruptae, plorant humorem foetidum *a*), acrem, mox serosae, mox lymphaticae indolis, qui superficiem cutis vicinae irritat, inflammat, et ita ulteriori propagationi impetiginis favet. —

Quia margines illorum semper inflammatae sint, hinc aegri per continuum pruritum magnopere molestantur, quin per novam subsequentem eruptionem molestiis liberentur. Toto corpore nullus locus, ubi haec species occurrere non posset, imo et mamis et scroto non parcit. Si faciem infestat, tunc ad mentum sibi sedem praediligit et sub pustula majori adparet, ex qua dein secretio humoris istius acris, magis ichorosi obtingat, quo exanthema latius diffundens, aegrum doloribus magnis vexat, vultumqué totum defoedat, ubi dein nomen Mentagrae fert.

Nonnumquam fit, ut perineo insidet, quod haemorrhoidariis, aut individuis proprium, qui turbis viscerum abdominalium laborant, quo in casu miseros per continuum pruritum et dolorem fere igneum cruciat, per continuam humoris secretionem vestes madefacit, et majores minoresve crustas format, ubi dein Lichen haemorrhoidalis vocatur *b*).

---

a) Roussel (op. c.) obtinuit per tentamen chemicum ex illo humore massam crystallinam, qua, uti Sprengel op. c. p. 323 credit, ex ammonia phosphorica, oleo empyreumatico impraegnata, constare videtur.

b) Haase op. c. Vol. I. §. 107.

Citius et vehementius organismus, in specie vero systema reproductivum sub hacce herpetis forma in compassionem ducitur, ac sub praecedenti.

Partim enim herpes miliaris frequentius ac h. farinosus, symptomaticae originis est, et semper intimo nexu cum aliis reproductionis morbis cohaeret, partim majoribus doloribus, inquietudine et agrypnia stipatur, tandem, si latius fuerit diffusus, largior fit secretio, humorum jactura major, quae momenta simul sumta sufficiunt, sequelas secundarias adducere. Hinc longiori morbi duratione nutritio magnopere laeditur: digestio etenim turbatur, status aut gastricus aut pituitosus evolvitur, alvus ex torpiditate tractus alimentaris aut tarda aut laxa fit, viri haemorrhoidibus serosis, feminae fluore albo et amenorrhea detinentur *a*, urina mucosa et turbida redditur, infarctus viscerum abdominalium evolvuntur, quae omnia oedema pedum et febris lenta pituitosa sequitur, exanthema vero ipsum non raro in speciem herpetis maligni mutatur.

Hic loci memorandae veniunt crustae et squamae, quas herpes miliaris, ruptis vesiculis, format, et quae Alibertum determinaverunt, proprium genus herpetis sub nomine crustosi et squamosi statuere; quae autem nonnisi varietates herp. miliaris sistunt.

a) Herpes squamosus, (die schuppige Flechte) — Gall. dartre squameuse ou écailleuse; semper originis herpetis miliaris est. Parvae enim pustulae rumpuntur, exiguamque seri quantitatem plorant, quod mox exsiccatur et leves aut asperas, bruneas-nigricantes aut flavicantes, nonnumquam transparentes squamas format, quae, exsiccatae decidunt. Sub his autem squamis aliae pustulae efflorescunt, quae eundem decursum reiterantes, tali modo cum exsudatione et desqua-

a) Sprengel op. c. p. 489.

matione alternant. Si parcam exsudationem cito exsiccatio succedit, et nullus humor sub squamis extricetur, tunc herpes squamosus siccus denominatur, cujus speciei nonnunquam Lichen haemorrhoidalis est. E contra vero, si squamae elevantur vel fissuris perreptantur, per quas humor secretus excernitur, et inde plagae morbo infestatae continuo madidae reperiuntur, tunc vocatur haec species herpes squamosus humidus, seu madidus (die feuchte schuppige Flechte.)

b) Etiam herpes crustosus (die borkige Flechte) — Gall. dartre crustacée ou crouteuse — herpeti miliari debetur. Hic quoque ruptis vesiculis largior secretio humoris ac sub praecedente casu subsequitur. Secretum spissius citissime in crustas crassas fatiscit, quae brevius, longiusque plagae adhaerent, donec decidentes, ibidem cutis superficiem tumidam rubentem relinquunt, in qua iterum scena pristina reiteratur. Crustae albi aut flavi, frequenter tamen badii-fusci aut nigricantis coloris, si justo diutius sedi suae adhaerent, crassae, durae et suffarcinatae fiunt, et superficie aspera inaequali notantur. Secretum acre, cui via extrinsecus non patet, tota sua vi ad partes subjacentes convertitur, ulceraque formando, cutem destruit.

Duae hae varietates, etiamsi non ad certam corporis plagam restringuntur, tamen faciem, labium superius, alas nasi, angulos oris, genas, scrotum et perineum, extremitates inferiores (praesertim ad articulationem genu) infestant. Raro per ostia (os, anum, vaginam) ad interiora corporis proserpunt, ubi gravioribus symptomatibus stipantur.

3) Herpes malignus, rodens, exedens, depascens, phagadaenicus, h. Noma, Formica corrosiva, ignis sacer Celsi, h. estiomenus ʽερπητα εσθιομενος Ga-

leni. — Die bösartige, fressende Flechte. — Gall. dartre rongeante.

Haec species origine tenus sub forma h. miliaris ad cutis superficiem rubicundae, sub sensu pruritus saevissimi, et dolore ardenti in una vel pluribus plagis non raro cum febricula adparet. Paucis diebus elapsis, prorumpit in parte inflammata pustula, a magnitudine pisi, ad illam nucis avellanae, quae mox disrupta ichorem acrem rodentem plorat, et ulcus malignum relinquit. Ex illo secernitur materies ichorosa, cruenta foetida et rodens, quae non tantum in fonte suo, sed etiam circacircum in partibus vicinis ad inflammationem usque irritatis, atrocissimos ardentes et rodentes dolores resuscitat. Crustae luridae, quas haec species format, nonnisi tenues sunt, et mox a sede sua dehiscunt. Ulcus, quod dein in conspectum venit, decolor, laxum, asperum corrosumque ex imo suo tenuem, cruentam saniem, cum intolerabili foetore effundit. Quae sanies continuo novas pustulas in ambitu suo prorumpere facit, aegrumque per scenam repetitam, atrociter cruciat. Licet haec terribilis forma herpetis minus, ac praecedentes species illius, fugax sit, tamen locum mutare amat. In quacumque corporis parte in lucem prodit, et plerumque faciem, (quam larvae adinstar ulceribus suis tegit, oculis attamen parcit, uti I. Frank *a*) observavit) collum, pectus, femora ceu lorica tegere, unde nonnunquam ad partes internas, per aures *b*) et nasum *c*) migrare dicitur.

Raro simplex incedit, ut plurimum scrophulae, scorbutus et syphilis eum concomitantur. Indoles cancrosa fere, qualem ipsi jam Celsus sub herpetis estiomeni

a) Op. c. p. 441.

b) P. Frank op. c. p. 147.

c) J. Frank op. c. p. 444.

titulo tribuit, sufficit, ut vires aegri inter immanes cruciatus celeriter prosternat, et miserum morti tradat, quin adhuc socii saepe enarati cum sequelis suis, auxilium suum in opere hocce tristi ipsi ferant. Nostris temporibus rarius iste morbus occurrere videtur, semper fere lethalis, in quo omnia, tam interna quam externa remedia insufficientia esse perhibentur *a*).

AFFINITAS ET DIFFERENTIA A MORBIS ANALOGIS.

Traditis nunc, quae ad faciliorem herpetis specierum inter se diagnosim, symbolam suam contribuerunt, signis, non absque re erit, mox adducere morbos, quibuscum facile una alterave species confundi possit. Sub exordio jam monuimus, quod herpes affinitatem erga nonnullos cutis morbos, uti sunt: Erythema, Erysipelas, scabies, Zoster, prurigo, strophylus, imo Lepra, manifestet, attamen certis signis ab illis distinguendus sit.

Optimum mihi foret illa, quae J. Frank *b*) circa diagnosim morborum herpeti analogorum statuit, hic loci adducere, quae ita sonant: Pro varia herpetis forma, diversae cum eo confundi possunt impetigines, quae, si rite distinguerentur, minor, ac vulgo creditur, morborum pro herpete declaratorum evaderet copia. Ipse Alibert mala herpetica longe ultra debita confinia extendit. Ceterum a disceptationibus circa formam hujus morbi

a) Amat. Lusit. curat. med. L. II. c. 37. — Forestus obs. chirurg. L. II. c. 5. — Hafenreffer de cutis affect. L. I. c. 15. — Tulpius obs. L. III. 44. — Roussel op. c. pag. 93. — Poupart. op. c. pag. 63. — Hufeland's Journal der pract. Arzneikunde. B. II. St. II. pag. 183. — Klose, Archiv der practischen Heilkunde für Schlesien. B. I. St. 2.

b) Op. c. p. 447—449.

abstinebimus, dummodo nobis concedatur, herpetem variam indolem agnoscere ac ipsius characterem praecipue in pruritu, in nisu et in periodica evolutione consistere. Herpes farinosus faciei cum erythemate gutta rosea, ille aliarum partium cum porrigine similitudinem alit. Erythema autem gutta rosea neque prurit, neque dolet, neque serpit, ac rarissime ad mentum, frequentissima herpetis (mentagrae) sede, obvenit. Porrigo, quacumque in parte obveniat, nulli, saltem evidenti cutis vitio originem debet, herpes farinosus econtra ex praeviis papulis nascitur. Herpetis miliaris forma quodam modo cum miliaribus, Zostere, exanthemate mercuriali miliformi, hydroa, psora, psydracia, tinea, et, si in squamas desinat, cum lepra squamosa convenit. Miliaria vero sistunt exanthema, herpes impetigenem. Idem de Zostere dicendum est, qui praeterea arcte ad unum tantummodo corporis latus circumscriptus invenitur, cum herpes plus minus nisum ad serpendum offerat. Et exanthema merc uriale acute decurrit ac praeterea a symptomatibus catarrhalibus comitatur. Hydroa fugax est, h. miliaris chronicus. Porro rerum positiones, sub quibus varii hi morbi obveniunt, rite perpensae, diagnosi instar luminis sunt. Psora communicatur, herpes vero, nisi syphiliticus, omni contágio destitutus est. Praeterea psora ab initio pustulas solitarias exhibet, herpes vero pustulas congregatas. Tandem illa vix unquam, hic saepe in facie comparet. Psydracia frequenter ex causis obviis externis oritur ac pustulas plerumque majores vixque congregatas exhibet cum pruritu eo herpetis minore. Herpes rodens cum ulceribus cancrosis, leprosis confundi potest.

Liceat mihi adhuc, hisce subjungere mentionem aliquorum in praxi frequenter occurrentium morbo-

rum, qui ad aliam minus attentos, praecipue tirones medicos, diagnosim seducunt.

Erysipelas vesiculosum, quod antiquissimis jam temporibus saepe saepius et pro herpete declarabatur, et cum illo confundebatur, certe primum sibi locum hic vindicat. Nostro aevo autem, ubi naturam morborum indefesso labore conatuque Ministri hujus matris fertilissimae, eruere studuerunt et student, momenta firma certaque diagnostica nobis tradunt, quibus felici cum successu ad unius alteriusve morbi diagnosim perducimur. Distinguitur enim herpes ab erysipelate et febri, quae erysipelas vesiculare gravior et constanter, herpetem mitior atque rarior praecedit; et cutis conditione, quae sub erysipelate aequaliter tumet, tenditur, roseo rubore suffusa est, sub herpete nonnisi in marginibus vesicularum rubet, vix aut parum intumescit, atque in interstitiis corymborum naturalem colorem exhibet: et ipsius eruptionis forma ac habitu, cum in erysipelate epidermis in pauciores plerumque majores vesiculas seu bullas soleat elevari, herpes confertis minoribus, et in agmina plura collectis vesiculis distinguatur, denique vesiculae seu bullae erysipelatis, non statim ab initio, sed sub ulteriori morbi decursu comparent, evanescunt vero citius ob acutam morbi indolem, dum in herpete eruptio princeps ac primarium symptoma constituit, et propter chronicum morbi decursum longo tempore cutem defoedat. Sauvages *a*) autem dicit, eo ab erysipelate exulcerato differre, quod solam cutem exulcerat herpes, erysipelas vero carnes profundius exedat, cum exulceratur.

Scabies, quod malum et odiosum et tam divulgatum inter gentes populosque occurrit, praecipue

---

a) Op. c. p. 177.

herpeti miliari quo ad formam analogum, sequentibus notis differt: Quod scabies ex loco eruptionis, qui plerumque in digitorum interstitiis est, sine lege et ordine ad diversas corporis partes propagatur, flexuras tamen, et, quae calore animali maxime foventur partes, praediligens, faciem numquam infestans. Contra ea herpes miliaris e centro orbiculatim expanditur, et saepe medio jam sanescente, margines vesiculis exasperantur, aut crustis teguntur, nec minus faciem quam extremitates obsidet. Scabies semper absque, herpes nonnumquam cum febricula effloret; sub scabie transspiratio mucidum, in herpete autem empyreumaticum foetorem spargit. Scabies partes internas minus, quam herpes adgreditur, nec sine contagio ortum ducit, quod in herpete non semper supponi potest. Denique ex pustulis scabiei minus acer, quam ex herpetibus ichor manat, quam ob causam minus rapide etiam expanditur scabies *a*).

Ita quoque herp. praeputialis Wil., qui decursum ulcerum syphiliticorum observare solet, facile pro illis haberi potest. In illo autem, sub vehementi pruritu et ardore macula rubra unica aut duae comparent, post 20 vel 30 horas in vesiculas terminans, quae si in interna facie praeputii, qua glans obducitur, fuerint, continuo humectatae, ubi rumpuntur (4.—5. die) ulcuscula formant, cum fundo albicante, marginibusque modice callosis, quae exinde ab inexpertis pro ulcere syphilitico declarari possent, praesertim, si causticis remediis exacerbata, majorem duritiem adquirant.

Quibus itaque dilucidatis, illam adhuc differentiam herpetis silentio praeterire non possum, qua recentioribus temporibus illum ab aliis, cutis eruptioni-

---

a) Sprengel, Handb. der Pathol. Th. II. p. 489—490.

bus chronicis, distinguere volunt. Ponunt *a*) enim summe characteristicum herpetis in fragilitate et dissilentia epidermidis, quibus continua illius degeneratio squamosa sustineatur, quam desquamationem in aliis exanthematibus secundariam tantum, in herpete vero semper primariam esse contendunt: praeterea herpes semper plicas inducere, rugosasque partes et flexuras, uti articulationes, integumenta cranii, regionem menti, labiorum, nasi, palpebras, scrotum, sphincteres ani etc. etc. infestare adfirmant. Quibus tamen omnibus perpensis, et ipsa experientia et autopsia contradicit: nam nec semper squamarum productio obtinet in superficie, sed saepe vesiculae et pustulae prorumpunt, diu perseverant, redintegrantur, ruptae crustas aut ulcuscula formant, nec, si squamae essent, illae solis tantum herpeti, sed et aliis morbis cutaneis conveniunt: denique nec flexuras observantur praediligere atque in aliis corporis partibus haud minus frequenter obveniunt.

A E T I O L O G I A.

Praemissis omnibus, circa diagnosim tum in genere tum in specie summe necessariis momentis, adjectisque characteristicis, herpetis differentiam a morbis analogis demonstrantibus notis, ad ipsius causas morbi rebellis cognoscendas accedimus, utpote: neque cognitio, neque sanatio morbi perfecta obtineri queat, nisi cognita prius morbi causa. Hinc, ut monito Celsi *b*): ille solum recte curat, quem origo causae non fefellerit, et judicio Tralliani: impossibile est, curationem invenire, nisi morbi effectrix causa sit cognita satisfaciamus,

---

a) Vogel's Beyträge zur Naturlehre der Flechtenkrankh. in d. allgem. med. Annal. 1818. Jan. p. 21.

b) L. I. praefat. n. 5.

nostrum erit, quantum quidem in re hac ardua fieri potest, momenta aetiologica perlustrare, ut rationem necessariam fomitis hujus morbi ex uberrimo illo fonte hauriamus.

Quod ut plurimum suam symbolam omnibus, exanthematibus ad illorum progeniem contribuit, scilicet status inflammatorius cutis, in herpete quoque

causam proximam

sistit. Illa sine dubio in peculiari vasorum cutaneorum irritatione radicatur, quae irritatio talem effectum in cutis functionem exserere valeat, ut secretio illius penitus alienetur. Quomodo autem haec perversionis alienatio contingat, ut loco mitis blandique secreti humor acer generetur? ignotum adhucdum est. Id nonnisi cum certitudine statuere possumus, herpetem tam ex vicissitudine externa ac locali, idiopathice et primarie, quam ex interna ac diversa constitutione morbosa, symptomatice et sympathice ad cutis superficiem efflorescere.

In primo, quin acrimoniam humorum supponere necesse sit, etiam ex sano sanguine, per stimulos irritantes; morbosam hancce materiam secretam generari conspiciatur, atque, uti Martialis jam monuit, morbum cutis ex humoribus oriri, qui in partem boni devehuntur, sed ibi ex intemperie hujus partis depravantur. Quae vero per diversas constitutiones morbosas aut per resorptum ex chronico et latius diffuso herpete fomitem morbosam inducitur diathesis, ab omni acrimoniae, corruptionis ac vitii humorum suspicione absolvi non potest. Specificam tamen et determinatam quamdam acrimoniam statui non posse, vel inde apparet, quod diversae et oppositae prorsus causae eandem hujus morbi formam valeant producere.

Antiquitas praecipuam herpetis causam in bile quaesivit *a*), quam opinionem magis tum ex flavo in pustulis contenti liquoris, tum crustarum formatarum colore derivasse videntur; quae vero plures etiam recenti aevo fautores nacta est, ex quibus sequentes adduxisse sufficiunt: P. Frank *b*), qui ita dicit: „*Negari non potest, hoc fluidum aut exuberans, aut mora, vel aliter corruptum, in cute, tum solo abdominis in pellem consensu, istius integritati non parum obesse* (§. §. 274, 373). *Major forsitan herpetum in iracundis, quam aliis in hominibus, frequentia occurrit; in ictero rebelli tum pustulae cutaneae, tum insignis pruritus comparent; et, quae de chronico ac habituali jam dicta sunt erysipelate* (§§. 288, 290), *sectio pathologica de herpetibus aliquando confirmat.*" — Lieutaud *c*) de herpete disserens hepar in omnibus cutis morbis saepissime laedi asserit. — Ita Plenk *d*) herpetis causam materialem esse peculiarem acrimonium biliosam, in glandulis cutis depositam contendit. — Ita Retz *e*) omnium exanthematum causam in bile ponit, plethoram ubique biliosam accusando. Multi per pathemata, bilem moventia, herpetem erupuisse tradiderunt *f*), et homines ad iram nimis pronos, frequentius herpetibus obnoxios esse contendunt.

At, licet negari non possit, cholopoëticum systema cum dermatico in intimo nexu esse, delatumque ad cutem principium biliosum, quod in ictericiis videre est, saepe pruritum in ea, imo aliquando pustu-

a) Galenus de tumoribus praeter nat. cap. 9.

b) Op. c. p. 143.

c) Inbegriff der ganzen med. Prax. Th. V. Frankenthal 1785, pag. 196.

d) Op. c. p. 89.

e) Des maladies de la peau. Paris 1790. 12. p. 80.

f) Lorry op. c. p. 94. 314. — Poupart op. c. 54 et Evers op. c. p. 186 et Langhans von den Krankh. des Hofes.

larum eruptionem produxisse, cum tamen frequenter et ii herpete vexentur, in quibus nec vivis ulla hepatis adfecti symptomata observantur, nec in mortuis peculiares hujus organi inveniantur mutationes, quae non eodem modo pro effectu herpetis, ac pro ejusdem causa declarari possent; hinc tantum abest, ut omnem cujusvis herpetis causam in excessum bilis rejiciamus, ut potius ab illius defectu, qui vegetationem universam laedit, eadem ratione herpetem posse oriri contendamus. —

Odor empyreumaticus, quam herpetici spargunt, in causa fuit, ut Trampel *a)* empyreuma quoddam cutem infestans accusavit, quod assertum ex unguinoso et pingui cutis attactu, e frequentia morbi hujus in obesis pinguibus, iisque, qui copiosissime piscibus rancidis vescuntur, confirmare studuit; sed odor ille empyreumaticus potius ex degeneratione glandularum sebacearum et pinguedinis animalis in herpete effective oritur, — macilenti dein et homines exsucci, quique piscibus abusi non sunt, non minus laborant herpete. —

Nuper plures pathologiae animatae defensores, observationibus microscopicis innixi, ex animalculis seu acaris sub cute nidulantibus, uti omnes impetigines, ita et herpetem oriri crediderunt. — At alii aeque sagaces et oculati viri, negarunt acaros unquam visos. Alii, utut praesentiam animalculorum admitterent, ea sub morbo ipso nasci, atque adeo effectum ejus non causam sistere, aut aliquando accidentaliter tantummodo adesse, deesse autem pluries contenderunt. Itaque hodie sententia illa de exanthematibus vivis eviluit, quasi non omnino sit contemnenda, certe cogitari non potest, quomodo tenelli isti vermiculi desertis suis sedibus, non modo perdurare atque vicis-

---

a) Beobachtungen und Erfahrungen. Lemgo 1789. II. Bd. p. 104 et seq.

situdinem temperaturae, aëris atmosphaerici influxum etc., quae ipsi vermes intestinales non perferunt, possent sustinere, imo et sanum cutem invadere, ac recentia sibi domicilia statuere. —

Nonnulli, principiis philosophiae naturalis innixi, herpetem tunc oriri docuerunt, si renes, tamquam organa secretioni azoti destinata, per quos sanguis principio urico liberetur, functione sua turbantur, atque ita retenti hujus principii, per abnormem azoti animalis secretionem, ad cutem vicaria fiat depositio; quam theoriam experimentis etiam voluerunt confirmare, cum saepe repente suppressi aut exsiccati herpetes, blenorrhoeam urethrae, vaginae induxerint, quae, herpete revocato, iterum disparuit: cumque observatum sit, herpetibus evanescentibus; urinas semper sedimentum specifici foetoris deponere, quod, si deficiat, denuo herpetis eruptionem praesagiri posse.

Ejusdem valoris ac praecedens, est opinio nonnullorum, quod herpes suam originem non ex degeneratione cutis derivet, sed ex peculiari depravatione digestionis et bilis secretionis, qua fit, ut in rete mucoso cutaneo, peculiaris pruritum causans, epidermidem perrodens, acrimonia, qua fit, ut lympha cutanea effrenem et ferocem digestionem obtinuerit *a*).

Theoria geneseos herpetis, praxi quam minime fertiles tandem illa est, qua defectum gelatinae animalis et terrae argilaceae praevalentiam in cute obtingere, asseruerunt, unde et fragilitatem cutis et in Lichenes animales producendos similem ac soli argilacei ad plantas minerales gignendas, nisum explicarunt *b*).

---

a) Schelver's Journal der Naturwissensch. und Mediz. Bd. I. St. 2. pag. 267.

b) Vogel op. c. p. 23.

Causae remotae.

Nondum omnes sane causae herpetis eruptioni faventes, nobis cognitae sunt, attamen in tantam molem numerus causarum occasionalium adolevit, ut certe paucissimae his in posterum addendae maneant, quae nobis ad genesim herpetis explicandam praesto essent. — Uti in aliis morbis, ita et hic causae in praedisponentes et excitantes, facilioris conspectus gratia subdividi possunt.

Causae praedisponentes. Quamvis herpes nulli aetati parcat, rarius tamen infantes, saepius juvenes, praecipue circa pubertatis epocham et adultos, saepissime vero senes aggreditur. — Nonnullae regiones, e. g. Insubria, ita herpeti favent, ut eum fere endemicum dixeris. — In genere potius urbium incolas et proceres, quam rusticos et egenos invadit. Frequenter dispositionem haereditariam agnoscere solet *a*). Licet natura hujus dispositionis adhuc incognita sit, manifesta in quibusdam subjectis ad herpetis eruptionem observatur proclivitas, praesertim autem in illis, quae cachexiis, humorum discrasia, systematis glandulosi et lymphatici vitio morbisque viscerum abdominalium laborant, aut aliis morbis acutis praecipue exanthematibus et fors variola *b*) detinebantur; in quibus functiones cutis turbantur, illiusque transspiratio supprimitur, consuetae se- et excretiones cessant, praecipue urinarum secretio diminuitur. — Hinc homines, constitutionis scrophulosae *c*), arthriticae, syphiliticae *d*),

---

a) J. Frank op. c. p. 446 et Waton in Journal de Medecine 1790, v. Hufeland N. Annalen I. p. 63.

b) Hilsham in med. comment. von Edinb. II. Dec. III. Bd. p. q. vid. auserl. Abhandl. f. pract. Aerzt. B. XIII. pag. 535.

c) Stoll Praelect. I. pag. 45.

d) Forestus L. XXXII. obs. 14. et Vicat, delect. obse pract. n. 41.

scorbuticae, quibus haemorrhoides, menstrua, lochia, fluor albus, diarrhoea et sudor habitualis supprimuntur, lactatio cohibetur *a*), ulcera vetusta consolidantur, gravidae annos climactericos transgressae, chloroticae hoc morbo frequentissime divexantur. Imo nimia cutis teneritudo, sensibilitas exaltata, turgori et congestionibus activis favens, aeque ac laxitas ejus et inertia, non exiguam in hunc morbum dispositionis causam largiuntur.

Causae excitantes, quarum plures dantur, ob faciliorem intuitum apte in externas (locales) et internas (universales) subdividi possunt.

Externae sunt, quae directe cutem irritantes, herpetem idiopathicum ibidem prorumpere faciunt, quo et mechanica et chemica irritamenta pertinent, scilicet: attritus et frictio cutis per vestes, praesertim ex panno, lana, et pilis confectis, uti a collaribus *b*), strophiis, a monilis ex capillis humanis *c*) zonis peri-

---

a) Alibert op. c. §. 18.

b) Plenk op. c. p. 88. propriam herpetis speciem sub titulo herpetis collaris adducit, quo collum ecclesiasticorum saepe afficitur, propter acrem tincturam, qua linteum ipsorum collare inficitur, constante ex vitro caeruleo, cobaltum recipiente, pulverisato atque glutini farinario addita; a Wasserberg in eod. op. circa hanc rem ita adnotat. Es ist bekannt, dass die blaue Schmalte aus dem mit glasartigen Substanzen zu einem Glase geschmolzenen Kobaltkalke besteht, welches Glas alsdann zu einem zarten Pulver gerieben wird. Diese Gattung der Flechte kömmt also nur vom mechanischen Reitze der kleinen Glasspitzchen: diese nehmliche Gattung habe ich auch öfters vom Gebrauche der schwarzen rosshaarnen Halsbinden entstehn gesehn, weil auch hier die steifen hervorstehenden Spitzchen dieser Haare einen Reitz verursachten.

c) Gazette de santé 1777, pag. 177.

scelidibus, linteis crudis, a coriis petaseorum, quae aliquando acribus simul tincta sunt; ab unguentis, emplastris, oleis rancidis, pinguedine acri, vestimentis immundis aut pigmento imbutis; — quapropter textores, lanarii et alii operarii his materiis occupati, tam frequenter herpete vexantur. -- Ipsae lacrimae per genas manantes, mucus sub coryza e naribus stillans acrior etc. herpetem produxisse visa sunt. Huc quoque influxus externi pertinent, qui functionem cutis specifice adficiunt, aut nimium sollicitant, uti ignis *a*) aëris atmosphaerici altior temperatura et balnea calida, aut deprimunt, uti humiditas et frigus aëris ac balnea frigida. Exemplo sint homines in fodinis carbonum, fossilium, salis et metallorum viventes, pistores, nautae *b*), lotrices, etc., omnes, qui huicce morbo subjiciuntur.

Hic loci a nonnullis contagium herpeticum refertur, quod autem negant alii *c*), alii contra ad characteristicum ejus esentiale pertinere putant. Illam certe, quam Willan et Batemann herpetis nomine intelligunt eruptionem numquam esse contagiosam libenter largimur; sed sub hac denominatione longe alius vulgo morbus intelligitur, qui chronicus sit, qui per acrimoniam ichoris, quem plorat, ubicumque corpus aegri ipsius sive effluens, sive digitis et contrectatione delatus contigerit, hac partes in mitioribus etiam morbi gradibus inficit, ita multiplicatur et continuo ulterius proserpit: in altioribus vero gradibus tanta pollet acre-

---

a) Alibert op. c. §. 252.

b) Blanc, Beobachtungen über die Krankheiten der Seeleute, p. 195.

c) Misler, von der Wasserscheu, nebst einer Rede über die Ansteckung. Ulm 1787. — Trampel op. c. p. 100. — Bertrand de la Gresse op. c. p. 19.

dine, ut aliena etiam corpora, quibuscum in contactum immediatum venerit, inficiat; ita, si infectionem proprii corporis per contagium fieri admittimus, semper est contagiosae indolis. Si vero contagium nonnisi ad alieni corporis infectionem restringimus, ita nonnisi in quibusdam altioris morbi gradibus erit contagiosus. — Alibert asserto Batem. et Will. quoque accedit, et nonnisi illo sensu, quo illi herpes sumitur, a suspicione contagii absolvendus est; — ast, qui latiori significatu vocem accipiunt, frequenti experientia suam, de vi contagiosa herpetis tuentur sententiam. Lorry *a*) pluries unico tantummodo decubitu pertinacem herpetem exortum vidisse asserit. — Tode *b*) exemplum adducit gravidae hemicraniam passae, cui, quum rogata soror manu utraque dolentem locum pressisset, dolor ibi cessavit quidem, ast locus, quem manus alterius palma herpete foeda pressit, huncce ocius contraxit cum pruritu ac rubore, biduique spatio perfectus emersit herpes humidus, pruriens, crustosus inter supercilia, nummum aureum majorem aequans. — Campardoni *c*) ab accubitu hominis herpete affecti, alterum eodem morbo infectum fuisse refert. Adducitur quoque exemplum herpetis per obstetricem propagati *d*). Quod et nutrices, omni respectu, propagationi herpetis faveant, nulli dubio subjicitur. — Sprengel *e*) existimat, herpetem nonnisi sub certis morbi gradibus levioribus contagiosum non esse, in altiori autem humorum cutaneorum corruptionis gradu contagiosum evadere.

---

a) Op. c. p. 312.
b) Collect. Havniens. Vol. I. obs. 13. p. 96.
c Vid. cur. chirurg. N. I.
d) Act. nat. Cur. Vol. III. obs. 4.
e) Handbuch der Pathol. Th. II. p. 493.

C a u s a e i n t e r n a e ad herpetis originem quam maxime contribuentes, frequentissime ex organis, digestioni inservientibus propullulant. Morbosae etenim adfectiones harum partium, inprimis sordes gastricae omnis generis primarum viarum grave momentum pro stimulo, cutem consensualiter stimulante, sistunt, unde vastissimum herpetum symptomaticorum genus originem suam deducit *a*). Quae exinde derivantur turbae graviores totius reproductionis non vili pendendae sunt, quum una alteri causa ansam facile porrigat, ut ex connubio harum effectus deleterii eo certius sequuntur; hinc non incassum stases hepatis, degeneratio bilis, iners per venam portarum sanguinis motus, languor tubi alimentaris etc. aut pro fomite herpetis prorumpentis, aut pro stimulo exasperante inculpandae veniunt. Evolvitur enim herpes praecipue vere, aestate et auctumno, sub vita aut nimis activa, aut plane sedentaria *b*), sub victu aulico, sub esu ciborum sale fumoque induratorum *c*), rancidorum, praesalsorum, pinguium, aut aromate acri nimis conditorum (uti F o r e s t u s *d*) ex abusu piperis observavit), carnium corruptarum *e*) sub ingestione ostrearum, mytilorum et piscium quorundam, praecipue idiosyncrasia praesente, sub usu largiori fermentatorum liquorum (sicuti etiam, qui aquas Nili potant, plurimi herpete laborare dicuntur) *f*).

---

a) Evers in Schmucker's vermischt. Schriften 1. B.

b) Alibert op. c. §. 249, 250.

c) Herrenschwand Traité des principales et des plus frequentes maladies, p. 331. — Lorry op. c. p. 545.

d) Bemerkungen auf seiner Reise um die Welt, p. 415—419.

e) Alibert op. c. §. 248.

f) Pugnet Mem. sur les fievres pestil. du Levant. Lyon 1792.

Quod animi pathemata, uti timor, tristitia et veneris desiderium herpetem progenuere, fide dignis autoribus adfirmatur *a*).

Quid de actione antagonistica cujusvis secretionis, tum physiologicae, tum pathologicae, jam naturae adsuetae, et repenter suppressae, in cutem reflectente, censendum sit, — nemini latebit, qui intimum consensum cutem inter et organa illa recte perpenderit, et observationibus, non multo rarioribus, de veritate edocetur, quae urinarum, sudorum, transspirationis, haemorrhoidum, menstruorum, lochiorum, lactis, blennorrhoeae, imo et ichoris inveteratorum ulcerum repentina suppressio frequenter herpeticae eruptioni causam fertilem prohibuerit.

Saepe saepius herpes tanquam crisis aliorum morborum adparet, qua feliciter judicantur, quin autem per illius retropulsionem exorti essent; uti in nonnullis febribus intermittentibus pertinacibus, infarctibus viscerum abdominalium, imo nonnullis nevrosibus contingere soleat, sic vidit Dabadie apud Riverium *b*) criticum tibiae laevae herpetem miliarem, qui febrim continuam remittentem in octuagenario judicavit; Klein cordis palpitationem insignem chronicam summe anxiferam cum vertigine, vidit serpigine pectoris notabili ablatam in vetula bibone *c*). Lorry arthritidem herpete phagadaenica judicatam adducit *d*). Ita herpetem labialem (hydroas) criticum aliquando esse refert Batemann, ita graves saepe viscerum adfectiones, comparentibus ad diversas partes repente herpetibus, continuo mitigari narrantur.

---

a) Alibert op. c. §. 178, 254, 255.

b) Observ. commun. p. 283.

c) Klein op. c. T. II. p. 1.

e) Op. c. p. 303.

Ultimo tandem diversus diatheses morbosas, ex vitiata vegetatione et systematis lymphatici atque glandulosi vitio enatas, saepissime in causa esse, nemo amplius dubitabit, si sequentia ab J. Frank *a*) prolata, mente pervolverit, quae ita sonant: „*Herpes vix unquam vitium primarium sive locale cutis sistit. Ut igitur diatheses, quae illi ansam porrigunt, rite eruantur, praecipuum est momentum. — Maxima herpetum pars ex diathesi arthritica pullulat, ac principium, quod vulgo dicitur herpeticum, eodem jure arthriticum vocari posset* *). *Sic docent aetas, in qua herpes plerumque contingit, — classis hominum, quae illi praecipue subjicitur, — vitae genus, quod eum excitat, — influxus anni temporum, — recursus saepe periodicus, — volubilitas sedis, — ardor cutis, — depositio ad eam materiei phosphatem calcis continentis, ipsaque tandem curandi ratio. Hic autem animadverti debet, herpetem arthriticum, praesertim apud homines robustos, haemorrhoidarios, saepe complicationem inflammatoriam inire et in genere pruritu maximo ac continuo stipari. — Herp. scorbuticus apud egenos et homines in nosocomiis inclusos, potissimum ad extremitates inferiores et ad faciem obvenit ac plerumque minus, quam reliquae species prurit. — H. syphiliticus circa partes genitales evolvi, pruritu et ardore nocturno stipari, ac saniem foetentem largiri solet. Diagnosis inprimis ex morbis praegressis instituitur. — H. scrophulosus infantibus, junioribus, feminis familiaris, amplas plagas frontis, colli, scapularum potissimum et brachiorum occupans, marginibus elevatis, haud multum pruriens, ut plurimum siccus*

a) Op. c. 449 et seq.

*) Video, me (J. Frank) hunc opinionem cum egregio practico communem habere: Klinische Bemerkungen über chronische Krankheiten, von Dr. J. G. Neuburg. Frankf. a. M. 1814.

est. — H. carcinomatosus plerumque rodens ac praeserlim feminis aetate provectis communis, saepe a duritie viscerum abdominalium, a febre lenta stipatus, observatur. — Nec complicationes unius alteriusve harum diathesium desiderantur, quo in casu herpetis natura non aliter, quam habita summa ratione constitutionis aegri, vitiorum haereditariorum, morborum praegressorum, causarum praesentium, symptomatum et effectus medicamentorum erui potest.“ —

DECURSUS ET TERMINATIONES.

Illis omnibus, ad herpetis generalem et specialem cognitionem contribuentibus, et in memoriam breviter revocatis momentis, non erit difficile, morbi istius decursum et terminationem jam a priori pronunciare, quin adhuc experientiam practicorum, qui herpetem pro malo chronicae durationis declarunt, consuluerimus. Sequentia rem succincte dilucidabunt.

Primo quoad decursum; licet herpes saepe duabus tribusve septimanis ex integro aegrum deserat, saepius tamen per totidem menses imo et annos illum vexat; et non raro ad tumulum usque, molestiis suis miserum crucians, concomitatur. Fit enim, quod in quacumque plaga eruptio illius, exanthematis acuti adinstar decursum brevem celebrat, quo absoluto serius ocius iterum vel eodem in loco, vel vicinia, vel vero in partibus remotis, nova eruptio (frequenter turbis gastricis praegressis) contingat, et sic una alteram continuo excipit, unde morbus characterem chronicum induit. — In genere herpes farinosus et squamosus brevioris, crustosus vero et phagadaenicus longioris durationis observatur. Nonnumquam herpes pro tempore penitus disparet, quod herpeti miliari et squamoso solenne est; nonnumquam certis periodis occurrere solet, ut e. g. herpes scrophulosus vere, catameniis aut fluxu periodico

haemorrhoidali manantibus, vel vero tempore graviditatis prorupuisse visus est *a*).

Quod autem — secundo, terminationes herpetis attinet, illum more aliorum morborum variis sub circumstantiis in sanitatem, in morbos alios, et mortem abire longaeva experientia edocemur.

a) In sanitatem: si individuum bene constitutum, morbus recens, minorem plagam obsidens fuerit, si causae cognosci, auferri aut emendari possunt, si therapia nondum perversa adhibebatur, et remedia convenientia mox applicantur, facili negotio pristina sanitas recuperari potest; e contra vero frequenter transit

b) in morbos alios: quod non raro obtingere solet, quia herpes, ut plurimum variis diathesibus irradicari suevit, per quas dein facile cum morbis aliis complicatur. Mox enim febris lenta hectica accedit *b*), — mox per illius metastases aut metaschematismos graviores variorum organorum et viscerum adfectiones enascuntur, ut ophthalmia, otitis, pleuritis, peripneumonia, haemoptoë, catarrhus chronicus, phthisis, asthma, diarrhoea, blennorrhoea, infarctus hepatis, lienis, glandularum mesericarum, uteri, vesicae urinariae. Legitur memorabilis historia morbi hujus fugacis in Principe Spirensi apud P. Frank *c*). „*In eodem homine, ad iras effrenes proclivissimo ac simul hypochondriaco, vertigines et salutis alia non pauca incommoda ab herpites simplicis ad pedum plantas eruptione mox cessasse conspeximus. Hunc tamen spirituosis et acribus tractari aegrotanti placebat. — Nascitur hydrocele: quo per sectionem testiculi sanato, et vulneris jam clausi superficie serum acre, ad plures in die uncias, per binas fere hebdomadas cum*

---

a) Nob. a Raimann op. c. p. 182.

b) Aaskow in act. soc. med. Havn. Vol. I.

c) P. Frank op. c. p. 140.

emolumento exsudat. Sed hunc quoque fontem vir consiliis rebellis exsiccat, et primum hepatitis, — hac vero persanata, maniaca per menses insequuntur deliria. Ipsa iterum ad scrotum cicatrix aperitur, ac humor acris effunditur: quo fluore cessante, in manus utriusque dorso herpes miliaris, ac tandem depascens comparet, et immanes rebellis dolores producit. Externis iterum abacta impetigine, periculosa otitis se prodit: qua feliciter dissipata, ad tibias herpes, ac pristina cum illo valetudo revertitur. Ex venereo ad perinaeum herpete repercusso, dolorem in thorace punctorium, sputa sanguinis ac tandem purulenta, cum macie extrema et singulis pulmonalis phthiseos symptomatibus, mercurialium virtute superare nobis licuit." — Mox iterum cachexiae diversae inducuntur, si solidis fluidisque corporis partibus vitiatis, habitus quoque modo depravatur, superficies in magnis plagis defoedatur; marescentia, icterus, hydrops insequitur. Mox nervoses diversae, uti vertigo, amaurosis, spasmi varii generis, paresis, apoplexia, epilepsia, mania, hypochondria, hysteria insequuntur. Plura circa haec legi possunt suis locis *a*). Tristissima autem terminatio illius est

c) in mortem: quae insequi solet, si feroces et diuturni cruciatus, si jactura humorum nimia, ulcera pessimae notae, febris tabida et colliquativa vires celeriter miseri exhauriunt metaschematismus lethalis ad organa nobiliora contigerit!

AUTOPSIA CADAVERUM ET ANALYSIS CHEMICA.

Sectiones hominum saltem cum herpete defunctorum, nunc de pulmonum inflammatione, nunc

---

a) Mémoires de l'academie de Medécine 1703, pag. 20. — Souville in Journal de Medécine 1789, Aout. — Haller in nov. Comment. Goett. VIII. n. 4. — Nat. act. cur

de liquore seroso in pectoris cavitate extravasato, nunc de intestinis aut exulceratis, aut a vesiculis obsessis, et saepissime de hepatis volumine aucto *a*) testantur. —

Analysi chemica squamarum et crustarum herpeticarum sequentia docuit: squamae ex albumine, mucilagine animali, muriate sodae, sulfate sodae, acido phosphorico libero et phosphate calcis componuntur, et crustae eadem principia, excepto acido phosphorico, cujus loco carbonatem calcis continent *b*), offerunt.

SUBSTRATUM MORBI ET NATURA.

Causis omnibus, herpetis origini faventibus consulto examinatis, symptomatibus illi propriis strenue consideratis, decursu terminationibusque rite perpensis, ad hanc pronunciandam perducimur conclusionem, quod probabilis natura herpetis in partiali inflammatione retis Malpigii vasorumque capillarium cutis verosimiliter radicetur, quae mox in illius superficie prorumpens, mox autem partes, illi subjacentes profundius penetrans, secretionem lymphae vitiatae procreando, frequentissime cum vitiis humorum et secretionum praecipue bilis, intimo nexu incedit *c*). Quod autem sub herpetis eruptione non tantum congestionem solam, ut nonnulli volunt ad cutem fieri, verum inflammationem propriae indolis obtingi, quae in causa est, ut vascula cutanea, unacum epidermide et rete mucoso corrodantur et destruantur, — luculenter

---

Vol. II. obs. 91. Vol. III. obs. 15. — Vicat, delect. obs. pract. n. 28. — Trayant et Allone in Journal de Médecine T. L. p. 344.

a) Alibert op. c. p. 90.

b) Alibert op. c. p. 91.

c) Nob. a Raimann op. c. pag. 183.

ex symptomatibus adparet. Percurrit enim efflorescentia herpetica legitimo modo stadia: inflammationis, morbosae lymphae secretionis et vesicularum productionis, exsiccationis et squamarum crustarumque formationis; quae autem rarissime prodroma antecedunt, ast semper plenaria cutaneae transspirationis suppressione, pruritu molesto et (altiore morbi gradu) secretione ichoris unguinosae indolis, odorisque empyreumatici concomitatur.

Si quis autem e nobis quaereret: quaenam sit illa materialis causa inflammationem et destructionem cutis producens? — necessario humoris secreti acrimoniam admittere debemus, quae, ex vitiis vasorum secernentium producta, restaurationem secretionis cutaneae ad normam pristinam et emendationem languentis fibrarum toni necessario exposcat *a*).

Quae, si ita sint, lectori manifeste indigitant, quid de opinione: bilem superfluam et fervidam (Galeni), pituidam tenacem (Hippocratis et Avicennae), serum acre (Sanctorii, Balonii, Pisoni, Gaterii), excretionem principii urici in sanguine retenti etc. etc. causam herpetis proximam statuente, censendum sit. —

Formam herpetis adcuratius considerando et omnia illa, supra exposita hic adplicando, diversum pro diversa specierum illius diversitate, substratum pronunciare cogimur; videtur etenim herpes farinosus in epidermide sola, herpes miliaris autem in rete Malpigii et glandulis sebaceis residere, phagadaenicus autem ulcerum mali moris adinstar, in partibus profundius jacentibus saevire.

---

a) Sprengel op. c. p. 493.

P R O G N O S I S.

Notionibus, quae nobis de praesentis morbi indole praesto sunt, in quantum valuimus, jamjam delineatis, nobis adhuc illa, quae cognitionem momentorum prognosticorum nobis suppetitant, exponere restant.

Prognosis, quae generatim in sanitate promittenda venit, magna circumspectione indiget. Herpes enim simplex, licet in nonnullis individuis facile devincitur, in aliis pertinaciter inhaeret, latiusque diffundens omnibus remediis adhibitis reluctatur, et paulatim universam superficiem occupat, imo nonnumquam discrimina vitae inducere valet, in cujus testimonium jam superius mentionem fecimus, illisque solummodo addere volo, quae in Ragmond leguntur *a*).

Ast nulla exstat impetigo, quae tam saepe pro critica et salutari haberi possit, quam herpes, inprimis ille, qui recens est, ac copiosa secretione stipatur. Tali herpete comparente pertinacem hypochondriasim, rebelle asthma, aliaque incommoda fugata, auctores fide digni viderunt *b*).

Pro signis boni ominis in quacumque specie herpetis consideranda veniunt: expedita functio viscerum abdominalium, cutis conditio respectu caloris et moliticei normalis, secretio largioris urinae reditusque evacuationum consuetarum ac antea suppressarum, quibus nil certius de herpete fugato testatur. —

Prognosis vero specialis ex multiplici respectu desumenda est, et quidem:

---

a) Traité des maladies, qu'il est dangereux de guerir.

b) Frank op. c. p. 651. — Alibert op. c. p. 84.

1) ex consideratione subjecti et aetatis.

Herpes corpori bene constituto insidens, facile tolli potest, e contra individua cachectica occupans, plerumque malae conditionis seu indolis et remediis efficacissimis resistere solet. Ille cum amenorrhoea suppressionis incedens, quoque maligni et cancrosi characteris observatur. Qui ante pubertatem prorumpit, facilius remediis congruis debellatur, nonnumquam vero aut sub pubertatis periodo, aut aetate maturiori sponte disparet; ast, qui provectiori aetate incedunt, obstinatiores reperiuntur; qui tandem senes tenent, ad tumulum usque miseros consuetim concomitantur. —

2) Ex consideratione causarum herpeti subjacentium.

Herpes idiopathicus, originis causae externae localis facile hac remota, remediis convenientibus tollitur, sed citam expostulat curam, ne aut inveteratus diathesim universalem inducat, aut neglectus habitualis tandem fiat, sequelasque tristes per posteram suppressionem inferat. Qui vero herpes ex causis internis producitur, aut ex propria diathesi nascitur, pertinaciter conatui medici virtutibusque remediorum resistit, et nonnisi sublato morbo primario abactisque causis genetricibus, quorum florem et fructum repraesentat, hostis ille veteranus devinci poterit. Grave arduumque fit medico officium, partim enim morbus primarius, quocum nexu intimo causali cohaeret, raro cito cognosci et distincte erui potest, partim complures saepe complicationes illum concomitantur, quae contrariam sibi expostulant methodum medendi, dum uni nimirum occurritur, altera exasperatur, partim, licet morbus primarius bene dignoscatur, causa

principalis aufertur, attamen ars medica saepe saepius hostem illum rebellem vix profligari valet! — Hinc per menses, annos, imo per totum vitae curriculum herpes ejusmodi perdurat aut pro brevi tempore disparens, eadem aliave parte iterum iterumque novo ferociorique impetu recrudescit. (Devicta saepe impetigine, interdum doloris et stuporis sensus in cute remanet *a*); alias accedente erysipelate typho vel alio morbo, ipse herpes evanescit) *b*). Imo numquam tuta est ejus, si jam diu perseveraverit, per remedia externa fortiora, suppressio; assueta enim huic habituali secretioni natura, repentinam suffocationem male fert, atque saepe saepius ipso morbo longe perniciosiores noxae consequuntur, (aliquando enim hepar et ventriculus inde scirrhosi fiunt, aut cor, sive aorta, in aneurisma aut exulcerationem incidunt, ut T e s t a asserit), quorum plures suo loco adduximus.

3) Ex consideratione durationis gradusque morbi ipsius.

Qui recens est, et a solo cutis vitio exoritur, herpes, hic non tantum facilius, et sine noxa externis remediis tractari, sanari mox potest, sed interne infectionis et contrahendae habitudinis ob metum exstirpari celeriter debet, quo magis inveteratus, aut quo major illius in cutem est impetus, latiorque in illa extensio, quo magis hanc penetrare, exedere ac crustis defoedare cernitur, eo major plerumque in eodem sanando difficultas, et factae retrocessionis fortiora timenda sunt pericula. Herpes rodens ideo pessimus, et fere semper lethalis, nullis remediis compescendus. Qui congenitus aut haereditarius est herpes, hic, si unquam, certe difficillime exstirpari poterit.

---

a) Heberden op. c. p. 99.
b) Alibert op. c. p. 93.

THERAPIA.

Timiditas animum medici tironis subit, si vastus remediorum, contra herpetem laudatorum mente flagellatur numerus. Arduum negotium esset juveni medico, ex tot tantisque contradictionibus multorum practicorum viam ad scopum praefixum recte ducentem seligere et tenere, nisi — absque praeconcepta opinione, fundamento rationali innixus, sufulcro et proprii judici atque experientiae, hostem illum pertinacissimum indefesso animo adgrederetur.

Quid a primis antiquitatis incunabulis ad nostrum usque aevum circa hanc rem labor conatusque virorum ingenio et experientia expertorum praestitere, nostrum erit, sequentibus dilucidare.

Patrem Hippocratem consulturi, nonnisi aphoristice remedium contra herpetem experimur, ubi dicit *a*): „*herpetibus estiomenis gratum esse calidum, frigidum vero inimicum et mortiferum.*"

Galenus, qui originem herpetis in bile et muco quaesivit, jam plura remedia commendat; — acidula nempe refrigerantia, — capreolas vitis, — rubum idaeum, — oxymellita etc. etc. cum vino rubro austero, in fine caustica, juxta Pamphilii Romani formulam suadens *b*); commendat quoque genus aliquod viperae, vario modo praeparatae tamquam antidotum; dicit enim ex improviso illud inventum fuisse, dum leprosum, porrecta vipera, enecare voluerunt, — hic autem ex integro sanus evasit; praeterea ex renovatione epidermidis viperarum, ad morbi sanationem per illius usum analogice concludendum esse putat *c*).

---

a) Aphor. L. V. n. XXII.

b) De arte cur. ad glauc L. II. c. 1. 2. et de compos. med. L. V. cap. 3.

c) Lib. IV. c. 13.

Celsus contendit papulam leviorem, si jejuna saliva omni die illinitur, sanescere, majorem vero, herba murali super eadem trita optime tolli; ex foro autem remediorum compositorum, formulas Protarchi et Miconis laudat. In specie sub titulo herpetis estiomeni victum ordinandum monet, alvum ciendam jubet, ulceri aloën contritam inspergere, si parum proficiat, chalcididem imponere, etsi sub his nihil proficitur, fero locum aduri ordinat. In igne sacro itidem ad regimen diaeteticum attendit, ipsa autem ulcera in priori specie, si mediocriter serpunt, aqua calida, si vehementius, vino calido fovenda, pustulas acu aperiendas, tum inponenda ea, quae carnem putrem exedant, praecipit, inflammatione vero sublata, ulcereque purgato, imponendum esse medicamentum lene. In altero autem genere, proficere posse mala cotonea in vino cocta atque contrita, item emplastrum Herae et Tetrapharmacon, cui quinta pars thuris adjuncta sit, item nigram hederam ex vino austero coctam, ac si celeriter malum serpit, non aliud magis profuisse.

Oribasius *a*) primus severe monuit, ad causas internas esse attendendum, nec externa remedia sufficere ubique, sed internis corpus esse purgandum, alias, si supprimantur herpetes pejora ipso morbo oriri posthuma.

Nostro aevo, ubi naturam indolemque morbi propius investigare medici studuerunt, innumeras, diversissimasque causas herpetis perpendentes, therapiam hisce adaptare ratum habuerunt, et vix ulla medendi methodus existit, quam frustra aut felici cum successu non adhibuerint.

Neminem itaque latebit, quanta cohors remediorum ad morbum illum debellandum praesto sit? Ast

a) Synops. L. VIII. c. 33. 49.

nemo quoque infitias ibit, qui in eo grave argumentum non putaret, nulli horum remediorum peculiariter fidendum esse, imo quilibet profiteri tenetur, magnopere illos errare, qui specificum pro illo morbo ex illis quaerant aut proponant. — Sufficiat illis hoc unicum adduxisse, morbum ex tanta causarum varietate oriundum nonnisi quoque diversis remediis profligari posse, nullumque in toto adparatu medicamentorum specificum dari.

Antequam remedia, praesenti in morbo laudata, expositurus sum, necessario quaedam praemittere debeo, ad quae generatim circa therapiam respiciendum est.

Sedulo perpendendum esse, an herpes in quocumque casu curandus sit, nec non?

Neminem effugit grave hujusce quaestionis momentum, si perpenderit omnia illa supra adducta. Sequentia breviter adhuc in memoriam revocata dignitatem illius demonstrabunt. — Commemoravimus etenim, quod herpes in nonnullis individuis manifestum in sanitatis emolumentum floret, et quo laetius, eo majorem euphoriam procuret, e contra vero sponte disparens, vel vero remediis incaute profligatus, hanc labefactari, diversasque molestias procreari, pessime vero repentinam suppressionem per metaschematismum ad organa interna ferri, et discrimina vitae poni. Quo in casu certe nemo temerarie herpetem tollere conabitur, imo cum circumspectione studebit, ut debitam illius efflorescentiam sustineat. Quod herpes inveteratus, habitualis eundem respectum expostulet, facile intelligitur. Denique in herpetem sub variis periodis, uti dentitionis, pubertatis, catameniorum etc. adparentem nullus medicorum prudens certe incaute actu-

rus erit. Quis responsum circa hoc argumentum fusius pertractatum legere cupit, egregie elaboratum inveniet suo loco *a*).

Perspectis itaque omnibus conditionibus, sub quibus herpetem tuto sanare licet, medens certe ante omnia primam indicationem adimplere studebit, scilicet:

Causas scrutari et amovere.

Si his operam egregiam navaverit, tunc saepe saepius etiam et ultimam indicationem una adimplebit. Ostendimus enim, quod herpes, praecipue idiopaticus, qui causis externis excitantibus debetur, his sublatis, quoque aufertur. Si vero causae latentes internae herpetem aut symptomaticum, aut sympathicum efflorescentem faciunt, tunc sagacitate indiget medici, ut verus fons illius scaturiginis detegatur, qua tandem detecta, et aut remota vel suppressa, productum illius auferri possit. Cardo, circa quem negotium medici hic versabitur, in illis invenitur, quae nobis superius momenta aetiologica palam fecerunt. His etenim feliciter profligatis, morbus ipse deuteropathicus quoque indirecte devincitur. Ast saepe omnibus hisce rite institutis tamen herpes pertinaciter perseverat, quo in casu omnem suam medicus attentionem in substratum morbi convertere debet. Cutis ipsa fertilissimam enim ansam illius praebet geneseos, quae tum in ejus morbosa conditione aut propriae dispositionis, aut nimiae sensibilitatis aut torpiditatis, tum in functionibus illius vario modo turbatis, radicatur. — Magna hic circumspectione et prudentia opus est, ut cutis ad normalem statum reducatur, mox enim functiones illius aut depri-

---

a) Chossier, an herpetes in quocunque casu tractandi? — Montpel. 1785.

mendae, aut excitandae veniunt, mox ipsa textura et conformatio illius roboranda et compingenda erit, remediis in subsidium vocatis et illico adducendis; — attamen semper casu individuali correspondentibus, una cum momentis diaeteticis ad scopum radicalis sanationis consequendum rite et legitime ordinandis dirigendisque.

Regulas, juxta quas medendi methodus characteris et variarum circumspectionum gratia, quibus herpes incedit, — statuenda est, hicce loci exponere velle, superfluum mihi foret, quum aliunde cuilibet cognitae esse debeant.

Ingens remediorum cohors, ad debellandum morbum illum in auxilium vocata, facilioris conspectus causa, in illa sub titulo externorum et internorum nunc adducenda est. In quantum mihi arcti dissertationis meae limites permittant, illa nunc enumerare incipiam, quae

I. remediis internis adnumerantur.

1. Purgantia. Nulla in impetigine magis ad digestionis opus respiciendum est, quam in herpete. Quare electo victu pro re nata accommodato, abdomen solventium et purgantium ope ab obstructionibus et saburris liberandum venit, quae frequentissime herpetibus sympathicis largam originis ansam praebent. Principem itaque curationis partem haec remedia constituunt, et sola saepe ad plenariam sanitatis restitutionem sufficiunt, sed etiam in aliis herpetibus, ubi cutis (quod praecipue sub initio morbi consuetum) turget, inflammatio illius major cum dolore graviori ardore et pruritu vehementi incedit, per derivationem levamen aegro adferunt. Adhibentur hic pro diversitate casus mox purgantia antiphlogistica, uti: sales neutri, calomel, serum lactis simplex aut cum cremore

tartari paratum, aut tamarindinatum; mox autem purgantia phlogistica: Rheum, Aloës, Senna, Jalappa. — His praemissis saepissime subsequi debent:

2. Roborantia, quibus, etsi non immediate herpetis sanationi prospiciatur, languori et laxitati ventriculi intestinorumque succurritur, quod praecipue indicatum est, ubi universalis adest aegri debilitas, et de illius conservatione agitur. Optime conveniunt amara et amaro-aromatica: Centaurea minor, Fel taur. inspiss., Absynthium etc. multa alia, de quibus, hic loci pertinentibus, aptius disserturi sumus, enumerantes scilicet:

3. Varia vegetabilia, quae reproductionem immutando, diaphoresim diuresimquem movendo, scopo adjuvante egregios saepe effectus praestiterunt. Multa huc numerantur, quae olim sub titulo depurantium sanguinis notabantur. Varia ex illis vario modo adhibentur: uti in decoctis: species lignorum Quajaci, Sassafras, Sarsaparillae, Santali, Juniperi *a*), nec non Cortex ulmi campestris *b*), Dulcamara *c*), Bar-

---

a) Bruch, diss. de rad. Juniperi decocta. Argent. — Wilhelmi, diss. de Junipero, Argent. — Henicke nov. act. med. N. c. T. II. obs. 32.

b) Banau sur l'usage de l'orme pyramidal, Journal de Paris 1783, Nr. 255. — Sammlung auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte, 9. B. p. 193. — Ackermann in Baldinger's neuem Magazin, 2. B. p. 161. — Arzneykundige Abhandl. des Collegiums der Aerzte in London, 2. B. p. 152. — N. Act. nat. cur. V VIII. obs. 28. — Home clinische Versuche etc. p. 475.

c) Carere, Mémoire sur le vertus, l'usage et les effets de la douce amère. Paris 1780. — Althoff., practische Bemerkungen über einige Arzneymittel. 1. B. 1791. — Rahn, med. Briefw. 1. B. N. 399. — Razaux im Journal de Medécine, T. XXII. p. 256. — Stark in Carere

dana *a*), Lapathum acutum, item in infuso: Baccae Juniperi, Saponaria, Viola tricolor *b*), Scabiosa arvensis *c*), Resina Guajaci, praesertim sub complicatione arthritica cum sulfure et antimonialibus combinata. — Extracta sequentia exhibentur: Aconiti, Cicutae *d*), Pulsatillae nigricantis *e*), si herpes rodens fuerit et cum nimia cutis sensibilitate incederet. Fumariae cum conii extracto et calomele combinatum, quoque laudatur *f*). Succi plantarum expressi initio veris omni mane ad cochlear exhibiti nempe: Taraxaci, Fumariae *g*), Chaerophyli, Nasturtii aquatici, Cochleariae, Rumicis acetosae, Trifolii fibrini *h*).

---

p. 131. — Otto de usu medico dulcamarae. — Waton im Journal de Medécine, 1790. Juin. N. 1. — Garn, Krankengeschichte. p. 113. — Poupart. etc. etc.

a) Chambon de Mont. in Hufeland's neuen Annalen I. pag. 320.

b) Haase Diss. de viola tricolori, in der Sammlung auserl. Abhandl. für pract. Aerzte, B. VIII. p. 328; item B. IX. p. 195. — Nothnagel, Handb. f. pr. Aerzte, I. B. p. 244.

c) Bauhin, Histor. T. III. p. 2.

d) Abhandl. der naturforschend. Gesellschaft in Zürich, II. p. 502. — Fouquet in Gardan Gazette p. 113. — Waton im Journ. de Medéc. 1790, Juin N. I. — Hufeland's neue Annal. I. p. 64. — Locher Observ. pract. p. 75. — Valentin medical repository. — Landuette Journal de Medéc. T. XXVI. p. 335. — Viventius de Cicuta, p. 65.

e) Poupart, op. c. p. 204, 211.

f) Menuret, Journal de Medéc. T. L.

g) Strandberg on fel vid, chron sjuk do mars botande, p. 17. — Poupart op. c. etc. etc.

h) Gazette de Santé, 1772, p. 165. — Gazette salutaire, 1777, p. 163, vid. Tode chir. Bibl. 7. B. p. 275.

4. Acida, quorum tam vegetabilia, quam mineralia et interne et externe cum effectu in usum vocantur, praesertim in individuis plethoricis et ad dyscrasiam scorbuticam pronis. — Ex vegetabilibus magnam sibi laudem promeruit succus citri et acidum citricum *a*), praesertim in scorbuticis herpete laborantibus. — Inter acida mineralia acidum sulfuricum quam maxime laudatur *b*), cujus dosis a dr. una — unc. semis multa aqua diluta de die esse potest. — Acidum muriaticum *c*) non minoris virtutis, eadem dosi quoque adhibetur; — Acidum nitricum *d*) denique, ast minori dosi, scilicet a dr. semis — unam, dilut. per diem exhiberi licet; — Spiritus nitri dulcis non absque effectu quoque adhibebatur *e*).

5. Sulfur: remedium scilicet cuilibet herpeti excepto venereo accommodatum *f*), cujusque laudes quamvis praeter modum Alibert cecinit. Noli autem timere, si, quod consuetum est, primis hujus remedii exhibitis dosibus, impetigo augeatur, tunc etenim paululo post verosimiliter imminuetur, adeoque pro signo

---

a) Poupart op. c. — Meza in collec. Soc. Med. Havn. II. — Schindler, Comment. med. de usu conii maculati et acidi citrici etc. Ulm 1791. — Sonnerat's Reisen nach Ostindien, 1. B. p. 101.

b) Kinglake in Phys. med. Journal, Aug. 1801, p. 614. — Home clinische Versuche, p. 488.

c) Evers in Schmucker's vermischten Schriften, 1. B. p. 193.

d) J. Frank (op. c. p. 454) dicit, hoc remedio herpetem rodentem in sene miraculi instar debellasse.

e) Herrnschwand Traité des maladies de plus frequentes, p. 324.

f) Agricola Comment. in Popium p. 434. — Bells Abhandl. von den Geschwüren, in den auserles. Abhandl. für pr. Aerz. B. XI. p. 5. — Medicin. Wochenblatt 1783, N. 38. — Ruland Cur. emp. C. IV. c. 39. — Stoll praelect. p. 287. — Poupart op. c. etc.

sanitatis ingressum habenda est. Ceterum memor esto, personas systemate nervoso excitabili, pulmone debili praeditas et ad haemorrhagias dispositas, sulfur interdum aegre ferre, quod de ipsis aquis mineralibus, eum continentibus dici opportet. Individuis vero, quibus organa digestionis validiora sunt, hepar sulfuris, vel calcaria sulfurata melius adhuc exhibetur. Attamen usus sulfuris (juxta mentem Schelverii) per 3—6 menses dosibus justo majoribus, ut ter quaterve de die alvum diarrhoicam cieat, theoriae admodum vacillanti innititur, et omni ex parte rejiciendus.

6. Antimonium licet et crudum *a*) praestans contra herpetem remedium sistit, efficacioris tamen virtutis sunt illius praeparata ex connubio sulfuris et alcali. Huc pertinent Sulfur aurat. antimon. Kermes miner. et calcaria sulfurato - stibiata *b*). Laudatur (a Sundelin) ex ultimo praeparato liquor antimonii sulfuratus, qui ex dr. duabus illius cum aquae libris quatuor ad dimidium usque cocta, paratur, ex quo quotidie libra semis — una ex jure carnium aut decoctis mucilaginosis exhiberi solet, vitando tamen usum acidorum. Optimo quoque cum effectu exhibebatur mixtura ex tinctura saponis stibiati dr. sex, tinctura colocynthidis dr. duabus parata, cujus omni trihorio guttae 20 ex aqua sumendae sunt *c*). Non minoris virtutis pillulae

---

a) Bell's Abhandl. v. d. Geschwüren. — Brisbane. select. cas. v. auserl. Abhandl. für p. Aerzte, I. B. II. St. p. 149. — Chambon de Mont. observat. clinic. Paris 1787. — Hufeland's neue Annal. I. p. 320. — Tode med. chirg. Biblioth. III. I. p. 186. — Salzburger med. chirurg Zeitung, 1801, IV. 380. — Poupart op. c.

b) Hufeland's Journal der Heilkunde, B. 4. p. 42. B. 9. p. 3—11. B. 11. p. 181.

c) Heim in Horn's Archiv. B. 12. p. 227.

ex aethiope antimoniali, gummi resinae Guajaci ana dr. una, extract. stipit. dulcam. dr. duabus paratae *a*).

7. Mercurii praeparata non tantum sub complicatione syphilitica et scrophulosa, sed etiam in simplici herpete cum optimo effectu adhibentur *b*), si status scorbuticus, aut jam praesens, aut per justo longiorem mercurii usum adductus illorum adplicationi non contra indicarent. Egregie agunt cum antimonialibus, sulfure, dulcamara, et guajaco combinata. Hinc Aethiops et antimonialis et mineralis a grano semis — integrum pro dosi, aut Calomel aut pulveres Plumeri ad eandem dosim ter quater de die exhibiti, effectum salutarem praestiterant, ut saepius annis 1828—1829 occasionem habuimus in instituto clinico sub auspiciis Cel. Nobil. a Raimann, t. temp. professoris nostri veneratissimi, observare; — ast caute debet usus mercurii corrosivi tum interne *c*), tum exter-

---

a) P. Frank op. c. p. 235.

b) Home's clinische Versuche etc. p. 482. — Menuret Journal de Medécine T. L. — Trampel's Beobachtungen und Erfahrungen II. B. — Poupart op. c. — Salzburger med. chirurg. Zeitung, 1819, III. 404.

c) Catton, Diss. an herpeti non venereo sublimatus corrosivus? — Hosty, Diss. an herpeti non venereo sublimatus corrosivus? v. Baldinger Syllog. VI. — Baylies Pract. Ess. v. auserles. Abhandl. für pract. Aerzte, 1. B. II. St. p. 86. — Bienvelot im Journal de Medécine, 1790, Avril. — Hufeland's neue Annal. p. 73. — Evers in Schmucker's vermischten Schriften. B. II. p. 111. — Fouquet in Gardane Gazette p. 113. — Maret Journal de Medéc. T. XLVIII. — Nicolas in Gazette de Santé, 1776. — Plater obs. L. II. p. 544. — Sibbern in Tode's med. chir. Bibl. III. 2. p. 192. — Tode med. chir. Bibl. II. 1. p. 160. — Weikardus Thes. pharmac. p. 618. — Winslow in einer chirurg. Gesellsch. in Kopenh. v. T.-

ne *a*) in casu aliquo pertinaci institui, ubi bene cum opio *b*), camphora, combinatur.

8. Graphites. Remedium, cujus virtutem nondum perspectam habemus, a Weinhold *c*) multis laudibus contra herpetem propositum fuit; hinc inde a nonnullis practicis sine et cum effectu tentabatur *d*), praesenti tempore autem oblivioni fere (non immerito) traditum. — Commendator hujus dubii remedii virtutem ejus specificam ex connubio partium metallicorum cum carbonio derivat, qua urinae secretio expeditur, et herpete disparituro, sedimentum largum ex illa deponi observatur; qua propter usus illius tum interne, tum externe praecipue in illis aegris commendatur, ubi scorbutus, chlorosis, scrophulosis, aut dispositio hydropica vel signa dyscrasiae instantis praesto sunt. — Interne varia forma porrigitur, uti in pulvere, pillulis, bollo aut electuario; (v. g. juxta Weinhold op. c. p. 95. — Rp. Plumbag. anglic. unc. unam. — Mellis unc. quatuor. M. exact. ut f. elect. D. S. man. et vesp. cochlear coff.) Ceterum aut solus aut propter alias complicationes morbosas cum mercurio solubili Hahnemanni, sulfure, antimonio, compilatus in usum trahitur. Partitis dosibus ter quaterve de die exhibetur, ita qui-

---

de's med. chir. Bibl. I. B. 3. p. 188. — Salzburger med. chir. Zeitung, 1813, III. 207. — A. Gottl. Richter's chir. Bibl. B. 4. p. 711, B. 5. p. 230, B. 7. p. 538.

a) Bell's Abhandlung von Geschwüren etc. — Duncan p. 25. — Medicinisch. Wochenblatt, 1783. N. 38. — Paraeus L. VI. c. 14.

b) Tode in Diss. observat. med. Tetras. Havn. 1786.

c) Der Graphit als neu entdecktes Mittel gegen die Flechten. Leipzig 1808.

d) Salzburger med. chirg. Zeitung, 1815, II. 171. III. 268. 1816. IV. 267. Ergänzbd. XVI. 40. et 170. 1816. I. 412.

dem, ut adulti spatio octo dierum unciam unam consumant, quod in casu communi, in graviori vero ad uncias duas, tres, sufficere ad herpetem penitus profligandum dicitur, quod autem haec dosis brevi illo tempore exhibita sanationem producere non valeat, multifaria observatione Cl. Nob. a Raimann testatur. Longiori etenim tempore opus erat in herpete licet nondum inveterato, ut notabilis emendatio tantummodo inchoaret. — Tempore, quo ego auditor quarti anni studii medici institutum clinicum frequentavi, observavimus casum, ubi quantitatem admodum magnam scilicet quatuordecim uncias et sex dr. spatio 4 mensium aeger consumsit, donec restitutus clinicum reliquit; — et quaeritur, num absolute Graphiti sanationem debeat, quam potius reliquae therapiae summe congruae et rationali institutae?

Quod me attinet, aperte fateor, me, etiamsi nullam, tamen parcam fidem remedio huic tot tantisque laudibus celebrato traditurum esse. Tristissima experientia me convictum fecit, quod usus illius in pulvere per plures menses sedulo continuatus, regimine omni respectu summe congruo, pioque animo observato, nullum effectum salutarem exseruit; neque a culpa digestionis laesae aliarumque turbarum productarum illum absolvere possum. Observare mihi in carissimo fratre aegrotante licuit ructum frequentem, appetitum prostratum, dispepsiam, adipsiam, congestiones ad encephalon cum suis sequelis, sudores locales profusiores, alvum per dies clausam, iterum laxiorem, urinae largioris excretionem cum tenesmo levi, intumescentiam pedis sinistri circa malleolos et superius, glandularumque subaxillarium ejusdem lateris. Seposito graphite, aliisque remediis in subsidium vocatis, disparuit quidem herpes, minimam tantummodo

partem obsidens, ast ominosa haemoptoë deleteriae phthisi pulmonali antecessit! Sit tibi terra levis pie defuncte!

»Omnes eodem cogimur, omnibus
Versatur urna, serius ocyus sors
Exitura, et nos in aeternum
Exilium impositura cymbae.« —

Mixtum vero ex partibus graphitis duabus et una mercurii vivi, quotidie a gr. tribus pedetentim ad dr. semis resumtum, omnino in certis casibus, praecipue si herpes syphiliticae, scrophulosae vel arthriticae originis est, effectus exoptatos praestare posse *a*).

Haec remedia interna vero nec cuncta simul coacervari, nec singula indiscriminatim, nec in omnibus sine prudenti delectu adhiberi debent. Naturam cujusvis aegrotantis et temperamentum, et habitum et aetatem et morbi causam et sedem et characterem et alia indicantia aut contra-indicantia, aut peculiaria prohibentia solertissime inspicere oportet, ut recte iis utamur. Ast saepe saepius conatui medici omnia haecce remedia nihil solatii et auxilii ferunt, nisi adhuc aliis remediis succurratur. Quae res vero certe sapientem atque exercitatum medicum exposcit, ut therapiam internam cauta manu cum illa externa conjungat, quod exoptato nonnumquam cum effectu fit, si in suffulcrum illorum sequentia adhibeat:

II. Remedia externa.

Illa etenim cuti immediate adplicata majori adhuc pollent virtute efficaci. In illorum adplicatione generatim respiciendum est:

1) ad sensibilitatem cutis aut exaltatam aut imminutam, nam, si magis rubet, turget et dolet, quod

---

a) Huber in der Salzburger med. chirg. Zeitung, N. 68, p. 282.

praesertim sub stadio eruptionis accidit, melius lenientia, emollientia, sedantia conveniunt, ubi vero laxitas, atonia, torpor adsunt, adstringentia stimulantia indicata sunt.

2) Ad plagam ipsam, cui herpes insidet; nam diversitas partium, majori vel minori sensibilitate praeditarum, propria sibi remedia exposcit selectu, in hoc enim loco nihil prosunt, in alio, si non nocent, saltem malum exasperant.

3) Denique ad individualem cutis constitutionem.

Quae nunc in specie adducenda veniunt remedia externa, tum certe primum locum sibi vindicant:

1) Balnea. — Illa in omni herpete, tam primario, quam secundario, ad sanitatem multum contribuunt *a*), omni etenim ex parte aequali modo in organismum universum agunt, cutisque functionem resuscitant, et casu, ubi immediate nihil prodesse, attamen mediate illam ad susceptionem remediorum aptiorem reddunt. — Communiter tepida, simplicia aut saponacea quotidie per longius temporis spatium adhibentur; si autem pruritus intolerabilis, ac dolores vehementiores morbum exasperarent, tunc decocta seminum lini aut florum malvae vel vero lac aut olea admixta, molestias sedant. Majoris efficaciae sunt balnea sulfurea arte parata, melius adhuc thermae sulfureae, praesertim si complicatio arthritica adfuerit, nisi individuum nimis irritabile vel vero nimia cutis sensibilitas illorum usum vetant. Quo major cutis torpor, eo altior caloris gradus in usum vocandus est, ideo a 28—30 grad. et altius. — Celebratissimae thermae, quae salubres effectus contra herpetem ex-

d) Bell op. c. et Sibbern in Tode's med. chirurg. Biblioth. III. e. p 192. — Fabricius ab Aqua pendente L. I. c. 29·

serunt, sunt: Aquisgranenes *a*), Wisbadenses *b*), Nenndorfenses *c*), Badenses *d*) prope Vindobonam etc. — Embrocationes hisce aquis ad partes affectas, attamen cum circumspectione instituendas Alibert *e*) commendat. — Balnea martialia nonnisi in altiori debilitatis gradu aut in reconvalescentia conducunt; — Balnea cum sale culinari parata, balnea muriatico-salina *f*), uti Iscalae in Austria, Bolechow et Drohobycz in Galicia, etc. etc. et balnea marina *g*) recentiori tempore magnopere laudantur; sicuti et partialia et universalia balnea vaporis omnem laudem merentur, praesertim sub nimia cutis siccitate; — hic quoque fumigationes sulfureae pertinent *h*). — Fomentationes, dum pro bal-

a) Kortum's vollständige physicalisch-medicinische Abhandlung über die warmen Mineral-Quellen und Bäder in Aachen und Burscheid. Dortmund 1798.

b) Ritter in Hufeland's Journal der pract. Heilkunde, 7. B. 3. 5. St. p. 74. — Fabricius Manuel du bagneur aux eaux de Wisbaden. Paris 1812.

c) Waiz in Hufeland's Journal der pr. Heilk. 24. B. 4. 5. St. p. 32. — Baldinger's neues Magazin XI. B. p. 223. — Schrötter über die vorzüglichsten Eigenschaften der Nenndorfer Schwefelquellen und Bäder. Reintl. 1797.

d) Rollet, Diss. de Thermis Badensibus austriacis. Vindobonae 1831, p. 11.

e) Op. c. §. 294.

f) Sterz, Diss. de Balneis muriatico-salinis, Vindobonae 1826, p. 31. et 55. — Ressig, Diss. sistens brevem expositionem aquarum mineralium Regni Galiciae. Vindobonae 1827, p. 31—35.

g) Eph. Nat., Cur. Dec. III. Ann. VII. et VIII. obs. 68.

h) Galés, Mémoires et Rapport sur les fumigations sulfureuses. Paris 1816. — J. Wächter Abhandlung über den Gebrauch der vorzüglichsten Bad- und Trinkw., nebst einem Bericht über die merkwürd. Schwefelräucher. des Galés. Wien 1817.

neis localibus haberi possunt, bene agunt, quae sub statu inflammatorio cutis apte ex infusis aut decoctis emollientibus parantur, uti florum verbasci, malvae, sambuci, radicis althaeae, seminum lini et canabis, lacte, oleo aut vitello ovi additis, quae apud malignos etiam herpetes longe melius conducunt, quam causticorum, mercurii, arsenici usus. Ast, si cutis laxa, torpida fuerit, fomenta etiam spirituosa adhiberi possunt.

2) Lavamenta certis sub circumstantiis saepe vices balneorum suppleri, vel vero in illorum actionis adminiculum adhiberi possunt, quae praecipue in herpetibus humidis egregium effectum praestant, contra vero herpeti sicco inde nocent, quod asperum reddunt, et fissuris sanguinolentis illum notant. Consuetim in omni casu lotio frequens cum sapone bene conducit. Ubi vero inflammatio cutis intensior, pruritus vehementior, secretio acrior morbum concomitantur, decocta emollientia, superius enumerata, casu graviori addito insuper adhuc solutione extracti opii, magno sunt levamini. Ita quoque lavamenta saturninis impraegnata, a nimia solummodo sensibilitate exposcuntur, quae vero cauta manu adplicanda sunt *a*), et numquam plagis majoribus — Uti jam supra indicavimus, salubri cum fructu acida varia in usum internum adhibeantur, usui externo quoque antiquis jam praecipue acetum forte, cui nullum antecelleret, notum remedium fuisse testatur *b*), quod et serius comprobatum est, acidum citricum et succum citri optime inservisse. Alii etiam succum pomorum *c*) et in spe-

---

a) A. Gott. Richters chirurg. Bibl. B. 9. p. 224.

b) J. Frank op. c. p. 457.

c) De Meza in Coll. sac. med. Havn. II. n. I. — A. Gottl. Richter chir. Bibl. B. 4. p. 225.

cie Borstorfensium (juxta *a*) et sempervivi tectorum non spernendum esse proponunt. Acetum radicale radice Lapathi acuti imbutum bene egisse testatur *b*). Acida attamen mineralia reliquis palmam arripiunt. Summa attentione digna sunt: Acidum muriaticum et hydrothionicum. Currente anno observari licuit in instituto clinico medico casum, ubi herpes in viro juveni pertinacissimus, sub auspiciis Cl. Prof. ab Hildenbrand lotionibus ex chlorinae pur. dr. una, aquae destil. unc. sex, bis de die institutis, felici cum successu tractabatur. — Infusa et decocta vegetabilium acrium, narcoticorum, uti, dulcamarae *c*), herbae Jaceae, Cicutae, Nicotianae *d*), Digitalis purpureae etc. etc. externe adplicata salubria quoque inventa sunt. Profusior autem in cute suppuratio exposcit sibi remedia adstringentia, attamen summa cum prudentia adhibenda, amant enim haec derepente herpetem supprimere, sequelasque pessimas secum ferre; ab initio lenissima, uti aquam calcis *e*), quae saepe omnia praestat; dein fortiora, sicuti Decoctum putaminum, nucum juglandum viridium *f*), solutio aluminis, boracis *g*), sulfatis zinci *h*), sachari saturni *i*), cujus autem

---

a) C. H. Kramer's Comerc. Noric. T. VI. A. 1736.

b) Riedlin Cur. med. Millenarius.

c) Borellus Cert. IV. obs. 83.

d) Ephem. Natur. cur. Dec. I. ann. IV. et V. App. p. 27.

e) Hufeland's Journal 16. B. 3. 5. St. p. 209.

f) Sammlung auserl. Abhd. f. pr. Aerzte 12. p. 237.

g) Loefler Beyträge I.

h) Bell. l. c.

i) Agricola Comment. in Popium de Satano. p. 278. — Goulard chirurg. Werk. I. p. 178. 259. Ejusdem: Richtiger Gebrauch des Bleyextr. — Tode med. chirg. Bibl. 1. B. 3. 5. St. 6. B. p. 233. — Theden Unterricht für Wundärzte

remedii usum Lorry *a*) et Frank *b*) verentur. — Celebrantur compositiones sequentes: ex lactis sulf. dr. una, sachar. saturn. scrupl. uno, Aq. rosar. unc. octo *c*). — Vel ex muriat. hydrarg. gr. tribus, Aq. rosar. unc. sex. lact. sulf. dr. duabus, sachar. satur. dr. semis *d*), quibus bene agitatis, pluries de die herpetes laventur, vel vero linteamina iis madefacta, plagis herpeticis imponuntur. Lavamenta cum variis mercurii praeparatis imbuta, bonos exseruerunt effectus *e*), quae semper dignitati, gradui, et complicationi morbi adcommodanda sunt. Ita etiam solutio sulfureti lixivae imo et Arsenici *f*) non frustra tentata fuere.

3. Unguenta, licet non tam bene perferuntur ac lavamenta, quia etsi blandissima, non absque incommodo in usum vertuntur; cutis etenim functionem plus vel minus impediunt, remediis qui insuper adstringentibus, excitantibus, acribus, causticis composita, non omni vacant periculo. Illorum adplicationem expostulat nimia partis herpete obsessae sensibilitas, vel vero, ubi crustae crassiores, duriores, emolliendae sunt. In talem numerum invaluit illorum agmen, ut vix limitibus dissertationis meae coërceri possent. Nonnisi celebratissima hic loci enumeranda forent, uti: Unguentum commune, olea mitia, blanda, interdum autem herpetes nonnulli omnia pinguia recusant. Saepe butyrum insulsum, oleum amygdalarum dulcium recenter pressum aut cremor lactis unice ab aegro perferuntur, dum

---

a) Op. c. p. 391.

b) Op. c. p. 459.

c) Bell l. c.

d) Rust's Helcologie B. 2. p. 81.

e) Bell, l. c. — Duncan p. 25. — Medicinisches Wochenblatt. 1783, n. 38.

f) Adair in Coment. von Edinburg. g. B. p. 35.

plagas morbo obsitas, erga aëris vicissitudines tuentur, aegroque levamen adferunt; laudatur etiam oleum nucum juglandum recenter pressum *a*), oleum Ricini, et olea empyreumatica, animale Dipelli *b*). — In infinitum fere empyria diversissimas compositiones unguentorum laudat; praecipue vero laudibus extolluntur: Unguentum sulfuratum, quod et tuto agit et a sensibilioribus etiam partibus, uti facie, auriculis, genitalibus perineo etc. bene fertur. — Unguentum ex hepate sulfuris magis irritat, pruritum intendit, dolores causat, adeoque majori cautione indiget, quod autem brevi sanatio sequitur. Unguenta saturnina nonnisi sub nimia sensibilitate in auxilium vocanda sunt, marginibus tantummodo cautissime illinienda; illis memores, quid Lorry et Frank de illius usu censent. — Unguentum ex anaticis partibus aqua calcis et olei amygdalarum compositum juxta Hufeland *c*), egregiam virtutem praestat. Unguentum stibiatum utiliter quoque herpeti illinitum fuisse, noster Malfati testatur. Quod Unguentum oxygenatum omnem laudem mereatur, recentissime in instituto clinico medico comprobatum fuit. Quid vero de Ung. graphitico (v. g. ex pulv. graph. opt. electr. dr. duabus, axungiae porc. unc. semis, vel vero pulvis illius cum saliva submixtus, parti illinitur) censendum sit, sub judice adhuc lis manet, licet multi contendant, praestantius agere *d*) ac si interne graphites exhibitus fuerit; — idem valet de unguentis ex corii cineribus

a) Salzburger med. chirg. Zeitung 1802. III. 406. — Hufeland's Journal B. 13. St. 4. p. 179.

b) Alibert op. c. §. 301.

c) In dessen Journal B. 23. St. 3. p. 209.

d) Heim in Horn's N. Archiv. B. XII. S. 227. — Salzburg. med. chirg. Zeitung. I. 1815. N. 69. S. 268.

cum saliva subactis *a*). Tute quoque Unguentum ex pulveribus carbonum *b*) pulveribus cretae, adhiberi potest. — Ubi vero leniter irritare oportet, Ung. cum succo nicotianae paratum, adhiberi potest. Ubi vero caustica actione opus est, vel vero herpes syphiliticus, aut saltem cum syphilide conjunctus est, tunc pro casus diversitate, mitiora vel fortiora Unguenta mercurialia locum sibi vindicant *c*). — Optimo cum effectu Cl. Prof. ab Hildenbrand anno currente Unguentum ex Mercur. praecipit. alb in casu rebelli adhibuit. — Unguenti citrini virtutem qua auditores anni ultimi studiorum medicorum et discipuli Cl. Prof. Nob. a Raimann in aegro, herpete pertinacissimo laborante, comprobatam vidimus, ubi omni therapiae sat forti, resistebat, donec usui hujusce unguenti penitus profligatus est. Unguentis arsenicalibus denique nonnisi in herpete rodente, aperte indolem carcinomatosam praeseferente locus concedendus est, et hic ad minores plagas tantummodo inunguendum. Commendatur formula vel Arnemanni *d*) ex Arsenic. alb., sulf. depur. ana dr. una, acet. destill., Unguent. cerus. ana. unc. una. vel vero Justmondi *e*) ex Arsenic. alb. gr. quatuor, opii gr. decem, cerat. dr. una., quae subtiliter linteaminis illinita, adfectis partibus adplicantur.

---

a) Loefler in Hufel. Journal 1811. März. p. 124.

b) Thomann Annal. d. klin. Anstalt zu Würzburg J. 1801. Mon. Jan. Rudolfst. 1805. et Hunald in Schaub's Archiv f d. Pharmac. B. II. St. I. S. 1 etc.

c) Bell op. c. — Oswald in Hufeland's Journal d. p. Heilk. 23. B. 3 5. St. p. 40. — Styx ibidem 8. B. 1. 5. St. p 174. — Thilenius med. chirg. Beobachtungen etc.

d) Dessen chirurg. Arzeneymittellehr. 1813. p. 183.

e) Abhandlg. f. pr. Aerzt. B. 12. p. 399.

4. Emplastra: quorum adplicatio indicatur, si herpes circumscriptas plagas occupat, vel stimulo fortiori, permanente opus est, vel vero accessus aëris, attritus vestium aliarumque potentiarum externarum et influxus varii arcendi sunt. Omnia hucusque enumerata remedia sub forma emplastri adplicari possunt. Inter alia autem illud de Graphite celebratur *a*), quod ex illius pulv. opt. electr. dr. una, emplast. saponat. unc. semis paratur et bis de die renovetur, efficacioris adhuc virtutis, quod Rust ex emplastro diachili unc. una, Mercur. subl. corros. scrupl. uno proponit. Multi emplastrum Cantharidum *b*), laudibus extollerunt, quod autem nonnisi in illo casu locum invenit, ubi torpor partis herpete adfectae adest, et crustae non dehiscunt, et hic quoque cum prudentia incedere oportet; plerumque enim morbus exacerbatur, dolores atroces resuscitantur, et saepe herpes malignae indolis fit. Quamcumque herpes in illa parte, ubi adplicatum fuit, disparuit, saepe iterum in alia efflorescit; aut, quod pejus est, ad nobiliora organa convertitur. — Si sub his circumstantiis aeger magnopere cruciatur molestiis (quod in phagadaenicis et canceraticis herpetibus contingit), ad cataplasmata emollientia, sopientia refugendum erit, paratis ex mica panis albi, herbis. Cicutae, hyoscyami, addito nonnumquam opio. Pulpa quoque ex diversis Solani speciebus recenter contusis parata, praesertim ex Solano nigro, saepe praefuit *c*). Emplastrum nicotianae tabaci (juxta Vogel) ex succi nicotian., cerae flavae ana unc. tribus, Resinae pini unc. una et semis, terebinthinae unc. j. Olei

---

a) Weinhold op. c.

b) A. Gttl. Richter chirg. Bibl. B. 2. p. 639. B. 5. p. 230.

c) Alibert op. c. §. 302.

myrrhae q. s. ut f. emplast. sicuti et folia Chenopodii Boni Henrici, plagis herpete florentibus imposita, bene conduxisse ab eodem auctore affirmatur *a*).

5. Derivantia. Omnino remedia magni momenti, quae numquam negligenda essent, etsi herpetem radicaliter profligari impotentia, tamen ulteriorem proserptum coërcent, pruritum, sensus ustionis sedant, ipsamque efflorescentiam herpeticam compescunt. Quae hic aliquid boni proferunt, sunt: Ulcera artificialia, in partis inflammatae vicinia producta, — Fonticuli adplicati, Setacea traducta, Vesicantia imposita, quibus omnibus caute incedendum, quum non raro in quacumque parte adplicata, ulcera herpetica provocant, quo in casu plagae vesicantibus tractatae, crustis crassioribus, herpeticam naturam testantibus, obteguntur, quod certis sub circumstantiis proficuum et exoptatum est, quum nimirum morbus vel ad viscera interna proserpens, vel vero a partibus dignitatis nobilioris et sensibilioris derivatus, ad superficiem externam provocatus, et ad alias partes minus sensibiles et nobiles convertitur.

6. Pulveres variorum remediorum, quorum usus majorem attentionem meretur, et frequentius in praxi medica adhiberi deberent, praecipue quidem in herpete humido. Alii pulveres carbonum, alii cretae et hepatis sulfuris proponunt. Si caute oxida et sales metallorum tentarentur, fors multum in sanatione herpetis lucraretur.

Hic itaque adparatus medicamentorum externorum esset, qui in adplicatione tale connubium cum illo internorum semper inire debet, ut mutuo se sustineant, talique modo in multis morbi casibus curam radicalem producere, in pluribus ejus intensionem et frequentiam imminuere valeant. Verum enimvero, restant ad-

---

a) Vogel's Beobachtung N. 18.

huc multa, ut hac rationali combinatione non omni indicationi satisfiat, neque enim omnia omnibus aeque salutariter conveniunt; nam quae ab aliis perferri poterant, ea alteri incommoda causant, et rebellis herpes haud raro: N o l i m e t a n g e r e veluti exclamat, — quod probe retinendum est, quod itidem suam significationem in herpete salubri, critico inveniet. Quo modo autem hic cura institui debeat, superflua illa mihi videntur hic explanare, quae aliunde cuilibet notae esse debent. — Gravioris momenti est methodus medendi instituenda, si r e t r o c e s s u s herpetis factus est. Quam maxime hic causae retrocessus ratio habenda est. Hac cognita, illum ad pristinam, cutis plagam revocandum, revocatum vero caute profligandum esse. Quo in casu ulcera artificialia et balnea tepida maximeque thermae sulfureae indicata sunt. Absente impetu inflammatorio, irritationem systemati cutaneo inferre juvabit. Huic scopo inserviunt: vestes laneae, sive tela cerata cuti nudae imposita, frictio superficiei corporis, embrocatio partis, in qua herpes desideratur, illinitio ope tincturae Cantharidum et Camphorae, et urticationes. Ad interna remedia quod spectat, ea potissimum morbo adcommodari debent, quo viscus a causa impetiginosa labefactatum laborat. Saepissime hic locus remediorum est, qui specifice in cutem agunt, inter quae Antimonium iterum commendandum venit.

Non minoris dignitatis est tempus c o n v a l e s c e n t i a e, eo magis, quum herpes post durationem patientiam defatigantem per hebdomadas, menses, imo annos recidivos admodum amet; partim, quia aegri sanati putantur, in quibus cutis quidem pura videtur, membranarum vero contextus, praeprimis mucosarum morbum in internis reconditum tenent, partim vero, quia aegri iisdem vestibus denuo utentes, con-

tagium sibi induunt, partim, quia ad easdem causas occasionales revertuntur, atque curam forte in visceribus abdominalibus saepe ut fomite necessariam negligunt. Consultius ergo erit, exanthemate etsi pro oculis remediis fugato curam moderate longius adhuc per tempus continuare, praeprimis balnea, ut cutis functio eo certius ad normam reducatur atque morbosa ejus diathesis penitus eradicetur. Praecipue post herpetem devictum solventia remedia interne continuanda per aliquod temporis spatium sanationis opus absolvent; — quibuscum simul balnea, primo simplicia, deinde saponata, serius sulfurata, adhibenda sunt, a quibus paulatim ad frigidiora erit transeundum, imo ad martialia, marina, muriatico-salina, hisce usus remediorum roborantium, moderate aromaticorum conjungendus, ut et reliquae functiones organismi, per morbum inveteratum labefactatae corroborentur, suisque officiis praeesse valeant; — quibus tandem omnibus quam maxime et sub morbo ipso, therapia summe rationali, adgresso, et sub convalescentia tandem ultimo succurritur per

Regimen diaeteticum,

primo forte loco ponendum. Victus enim ratio primas et supremas curationis partes in omni affectu obtinet, et quo, ipsius Hippocratis testimonio, qui inter medicos maximam sibi comparaverunt famam, fere omnem et certe maximam curationis partem absolvant. Et revera in herpete, ubi dispositio saepius vix potest eradicari, causarum excitantium rita evitatio plus non raro praestabit, quam ipse medicamentorum adparatus, atque usu parum efficitur, ubi regimen diaeteticum non observatur. — Potissima vero, quae huc spectant momenta, sunt sequentia:

1) Aër, in genere temperatus, purus, serenus, omnesque ejus vicissitudines, in quantum fieri potest, evitentur.

2) Vestitus calorem aequabilem servet, absint vestimenta coarctantia et irritantia, ut jam in aetiologia monitum fuit.

3) Victus magnam restrictionem requirit; abstinentia enim et sobrietas omnis diaetae cardo est. Abstineat itaque a nimis salsis et acidis, caseosis, pinguibus, rancidis, fumo induratis carnibus, a nimis farinosis flatulentis etc. etc. (vid. aetiolog.); utatur potius carnibus tostis et tenuioribus, vegetabilibus facile digerendis, fructibus horeis etc. in genere utantur semper coena frugali et simplici, evitentque quam maxime omnem ingurgitationem. Potui optime aqua inservit, sed et cerevisia tenuis et bene defecata atque vinum melioris notae, aqua dilutum et moderate usitatum, assuetis concedi possunt. — De usu infuso Theae et Caffeae, quamvis ad forum pharmaceuticum pertinent, hic adnotandum venit, illum certis sub circumstantiis commendari, alias iterum prohiberi, quod in casu speciali decidendum erit.

4) Somnus et Vigiliae utraque sint moderata. Praestat ante mediam noctem cubitum ire, atque in tempore mane surgere. Stragula sint levia, non nimis calefacientia; a plumis universim male adficiuntur herpete laborantes.

5. Motus et Quietis eadem fere ac somni et vigiliarum ratio, sint itaque moderata. Motus aequabilis, aut deambulando, equitando aut curru vehendo sub coelo sereno (ast non nimis calido vel humido, minime calido-humido, aut ventoso) summopere ad vires roborandas, obstructionesque reserandas conducit. Itinera salubri cum effectu instituuntur, dum clima-

tis, habitationis, victus etc. etc., uno verbo vivendi rationis mutatio, pertinaces herpetes profligasse visa est. Ceterum excretionibus liberis sedulo providendum esse patet.

6) Animi tandem adfectus et pathemata rationis freno coërcenda, solerterque moeror, ira, terror, et tristitia fugienda sunt. Vitentur studia protracta, praesertim vita sedentaria, in cubilibus raro ventilatis: literatis dissuadenda. Ultimo tandem et Venere est abstinendum, quum illius usu vires debilitantur et exhauriuntur, et potius illud Stoicorum S u s t i n e e t a b s t i n e! bene observandum.

Quodsi haec omnia ab aegro rite observantur, a medico prudenter ordinantur, medens ille radicalem curam felici cum successu coronatam iri non frustra sperabit; et, si malum radicitus tollere non potuerit, in summum tamen aegrotantis levamen saepe saepius operabitur.

LITERATURA.

A) *Auctores, qui de herpete in specie scripserunt:*

Montagnana, de herpete etc. Venet. 1589.
Nymann, diss. de herpete. Witteb. 1594.
Gockel, diss. de herpete. Altd. 1695.
Wedel, diss. de herpete. Jen. 1703.
Broc, diss. de impetigine. Aug. Trevir. 1778.
Lupini, diss. de Lichene. Budae 1778.
Roussel, diss. de variis herpetum speciebus, causis, symptomatibus. Cadom 1779.
Pitner, diss. de herpete. Budae 1780.
Rambeau, mémoire sur la nature et le traitement des dartres (Journal de medec. militaire. 4 cahier. 1782.
Poupart, traité des dartres. Paris 1782, a. d. Franz. von Conrad. Strassburg 1783. — Dessen Zusätze zu der zweyten Aufl. 1785.
Tourney, diss. de herpete. Nanceji 1783.
Bertrand de la Gresse, essay sur le traitement des dartres. Paris 1784.
Geraps, diss. herpetis naturam atque causas lustrans. Marburg 1790.
Gempf, Diss. de herpetis natura et causis. Marb. 1791.
Mühlenpfort, diss. de ulceribus estiomenis eorumque methodo medendi rationali. Kilon. 1795.
Goldbeck, diss. de herpete. Jen. 1797.
Hensler, de herpete s. Formica veterum labis venereae non prorsus experte. Kilon. 1801.
Tilesius, Theorie der flechtenartigen Ausschläge etc. Leipzig 1802.

Alibert, im Dictionaire des sciences medicales. Paris 1814. Tom. VIII.

Vogel's, Beyträge zur Naturlehre der Flechtenkrankh. i. d. allgem. med. Annal. 1818. Jan. p. 21.

Westphal, die Heilung der Flechten. Quedlinburg 1823.

Belliol d. Sohn. Neue Methode die Flechten gründlich zu heilen, a. d. Frz. von Dr. Wiese. Leipzig 1828.

B) *Auctores, qui de morbis cutaneis in genere tractaverunt:*

Mercurialis, de malis cutaneis. Venet. 1572.

Minado, de humani corporis turpitudinibus cognoscendis et curandis. L. III. Patav. 1600.

Haffenreffer, nosodochium, in quo cutis eique adhaerentium partium adfectus omnes singulari methodo curandi fidelissime traduntur. Tub. 1630. Ulm 1660.

Tob. Vogel, Curieuser Hautdiener, vorstellend der menschlichen Haut Schönheit und Hässlichkeit, Grätz 1698.

Turner, Abhandlung von den Krankheiten der Haut. a. d. Engl. Altenburg 1766.

Lorry, tractatus de morbis cutaneis. 1777. A. d. Lat. v. Held. Leipzig 1778.

Plenk, doctrina de morbis cutaneis etc. Edit. alt. auct. Viennae 1783. A. d. Lat. u. mit einigen Zusätz. vermehrt. v. Wasserberg, Wien 1789.

Retz, des maladies de la peau. Paris 1790.

Jakson, dermato-pathologie, a. d. E. Erfurt 1791.

Schmidt, cutis morbi ex materiae animalis mixtura et forma mutatis cognoscendis. Hallae 1799.

Willan, die Hautkrankheiten und ihre Behandlung, systematisch beschrieben A. d. Engl. mit einigen Anmerk. und einem Anhange v. Friese, Breslau 1799—1817.

Chiarugi, sagio teorico practico sulle malattie cutanee dordide osservate nel R. Spidale di Bonifacio di Firenze. Firenze 1799. Alt. edit. locupl. 1807.

Alibert, description des maladies de la peau observées à l'hospital Saint Louis et exposition des meilleures methodes suivés pour leur traitement. Paris 1806—1812. Fol. 9 Livraisons, deutsch v. Müller. Tübingen 1808.

Alibert, Précis theoretique et practique sur les maladies de la peau. Paris 1810.

Wilson's Treatise an cutaneous diseases. Lond. 1813.

Batemann's, prakt. Darstellung der Hautkrankheit. nach Willan's System, a. d. Engl. v. Hanemann, mit Vorrede und Anmerk. v. Sprengel. Halle 1815.

Nusshard, Skizze einer Dermatopathologie mit physiologischen Vormerkungen etc. Prag 1816.

C) *Auctores, in quorum operibus systematicis hic morbus optime pertractatus invenitur:*

R. A. Vogel, praelectiones de cognoscendis et curandis corp. human. affectibus. Lausannae Helvetiorum 1781.

Burserius de Kanilfeld, instit. med. pract. Vol. IV. Lips. 1787. Edit. alt. 1796.

Chambon de Montaux, observationes clinicae. Paris 1788.

Boissier de Souvages, nosologia methodica etc. Lipsiae 1790.

Sagar, systema morborum symptomaticum etc. Viennae 1793.

Hufelands, System der praktischen Heilkunde, 2. B. 2. Abtheil. Jena 1802—5.

P. Frank, de curandis hominum morbis epitome. Lib. IV. V. Venetiis 1797.

Conradi, Grundriss der Pathologie und Therapie. Marburg 1811—15.

Marcus, Entwurf einer speziellen Therapie, 3. Theil. 1. Abtheil. Nürnberg 1812.

J. Frank, praxeos medicae universae praecepta, Par. I. Vol. II. cont. doct. de morb. cutis. Lips. 1815.

A. Gotl. Richter's, specielle Therapie. 6. B. 4. Abtheil. Wien 1819.

Haase, über die Erkenntniss und Kur der chronischen Krankheiten. 3. B. Wien 1820.

Joh. Nep. Edler von Raimann, Handbuch der speziellen medizinischen Pathologie und Therapie. Wien 1826, 2. B. 4. Aufl. Wien 1831.

Theses defendendae.

I.

Frigus et calor remediorum principes.

II.

Medice vivere, optime vivere.

III.

Ulcerum herpeticorum sanatio medici est.

IV.

Definitiones morborum non dantur, tantummodo illorum descriptiones.

V.

Nullius enim morbi natura omni ex parte nota.

VI.

Pulchritudo sanitatis effectus.

VII.

Quo plura in aliquo morbo laudantur auxilia, eo difficilior sanatu esse consuevit.

VIII.

Balbutionis causa non in linguae, sed circuli vitio quaerenda.

IX.

Foedus artium liberalium medicinam inter, plus detrimenti quam emolumenti scientiae medicae adfert.

X.

Sobrietas valendi aegrotandique una bona ratio.

XI.

Uti excessus ita et defectus remediorum necessariorum in morbis Medicum erroris arguit.

XII.

Licet medico potiori jure, Chirurgum agere, quam Chirurgo Medicum.